ΣΑΡΞ VOCABULUM

QUID APUD PAULUM APOSTOLUM SIGNIFICET.

COMMENTATIO,

QUAM

IN ACADEMIA LUNDENSI

PERMITTENTE REVERENDISSIMO THEOLOGORUM ORDINE

PUBLICE PROPONIT

P. EKLUND,
DR. PH., SC.

D. MAJI XXIII AN. MDCCCLXXII H. A. M. X IN AUD. I.

LUNDÆ,
TYPIS BERLINGIANIS
MDCCCLXXII.

ΣΑΡΞ vocabulum quid apud Paulum Apostolum significet.

Scripsit

P. EKLUND.

Si id nobis proponimus, ut quam vim atque significationem apud Paulum Apostolum *σαρξ* habeat ceteraque quæ cum illo cohærent vocabula *σαρκινος*, *σαρκικος*, eruamus; id ipsum sequimur, ut vocabulario Paulino in his rebus expediendis, quantum nobis licebit, satisfaciamus. Sed quamquam de vocabulo tantum agitur, maximi tamen, in hac, quæ jam est, explicationum multitudine, momenti esse videtur his rebus expediendis operam dare, præsertim quum non solum sæpissime magnaque cum significandi varietate apud Paulum vocabulum illud adhibitum inveniatur, sed — id quod majus est — ibi sæpe in scriptis Paulinis usurpetur, ubi de iis ipsis rebus verba fiunt, quas apud illum gravissimas esse constat, de peccato et gratia. Ac quemadmodum viri illi, qui inter christianos maximi habentur, Augustinus et Luther, ea, quæ præstantissima protulerunt, ex scriptis Paulinis hauserunt, neque vero adeo nec ipsi nec qui eos secuti sunt singula expediverunt, ut arti vere satisfactum sit philologicæ; ita his quasi ducibus singula ut expediantur studere operæ prætium semper erit. Nos igitur si quid in hac re efficere potuerimus, laborem profecto haud inutilem nobis suscepisse videbimur.

Hanc autem rationem nobis sequendam esse res ipsa docere videtur, ut a difficultatibus, quas ipsi, in quibus *σαρξ* ceteraque sunt, loci objiciunt, proficiscentes, præcipuorum allatis exegeticorum interpretationibus, quæ recte illi præceperint, confirmentur, quid amplius quærendum sit, constituatur. Si quid amplius quæren-

dum esse demonstratum erit, tum et ex Apostoli ipsius de natura pravitatis humanæ doctrina et ex consuetudine sacrorum potissimum Veteris Testamenti scriptorum ejusdem, ut ita dicam, vocabuli adhibendi, talem vocabuli apud Paulum intelligendi rationem repetere conabimur, qua fiat, ut singula vere expediantur. Quæ si inventa ratio erit, tum postremum singulorum locorum afferetur explicatio. — Sed jam ad quæstionem ipsam progrediamur.

I.

I. Non diu profecto in libris Paulinis interpretandis opus est versari, quin satis appareat, admodum magnam habere difficultatem, si quis id sibi susceperit, omnes locos, in quibus *σαρξ* occurrit ceteraque illa, ita expedire, ut arti vere satisfiat philologicæ.

Illud quidem ipsum per se satis constat, eam propriam et principalem hujus vocabuli vim esse, ut materiam indicet, qua sanguine completa ossibusque infixa corpora concreta sunt hominum bestiarumque. Hac significatione apud Paulum quoque *σαρξ* usurpari solere, apertissimum est, velut Rom. II. 28: *οὐδε ἡ ἐν τῳ φανερῳ ἐν σαρκι περιτομη*; I Cor. XV, 50 *σαρξ και αἱμα βασιλειαν θεου κληρονομησαι οὐ δυνανται*; Eph. V. 30 *ὁτι μελη ἐσμεν του σωματος αὐτου, ἐκ της σαρκος αὐτου και ἐκ των ὀστεων αὐτου.* Itemque hæc materia quin usitatissima dicendi ratione, utpote quum ex illa præcipue corpus constet, pro toto corpore dicatur, velut II Cor. VII, 1 *καθαρισωμεν ἑαυτους ἀπο παντος μολυσμου σαρκος και πνευματος*; I Cor. VI. 34 *ἱνα ᾐ ἁγια και σωματι και πνευματι*, dubium non est. Quum vero Rom. I, 3 legitur: *γενομενος ἐκ σπερματος Δαβιδ κατα σαρκα*; nonne etiam eam vitam, quam *πνευματι* humano vixit, *ἐκ σπερματος Δαβιδ* habuit? Et Eph. VI, 5 quum qui ordine rerum humanarum domini sunt *κυριοι κατα σαρκα* appellantur, num in materia carnis sive corpore tantum positum fuit, ut imperium illud tenerent? Et quum nominatur I Cor. II *σοφια σαρκικη*, quæ haud dubie magis ab Epicureorum quam a Platonicorum abalienata fuerit, philosophia, quomodo hoc intelligi poterit? Et quum castigantur Corinthii, I Cor. III, 2, quod inter se in factiones alii Paulinam, alii Petrinam, alii Christinam discesserint, eamque ob causam

σαρκικοι appellantur, num vere Paulus inde Corinthiorum illam discrepantiam repetivisse putandus est, quod ea, quæ ad corporis vitam pertinerent, sequerentur, quæ ad animi spiritusque, non sequerentur? Similiter quod dicuntur Gal. V, 20 ἐχθραι, ἐρις, ζηλος, θυμοι, ἐριθειαι, διχοστασιαι, αἱρεσεις, similia una cum πορνειᾳ ceterisque ἐργα esse της σαρκος, nonne ita inter homines illa existere possunt, ut ex vita, non quæ corpore, sed quæ animo, quæ mente, quæ spiritu vivitur, exoriantur. An tum solum ex Pauli sententia ἐργα της σαρκος sunt, quum in illis de rebus agitur, quæ ad corpus pertinent, non quæ mentis spiritusque humani sunt? Et quum dicitur τῃ σαρκι, neque vero τῳ νοϊ δουλευω τῃ ἁμαρτιᾳ, nonne in voluntate omnis posita est et boni et mali actio? Multa similia. Quid? quod de carne contraria prorsus apud Paulum pronuntiari videntur: tum se ἐν σαρκι ait ζην, ἐπιμενειν, Phil. I. 22, 24, tum Rom. VII, 5 est: ὁτε ἠμεν ἐν τῃ σαρκι, VIII, 9: ὑμεις οὐκ ἐστε ἐν σαρκι. Tum admonetur, ut ab omni maculatione ἡ σαρξ pura conservetur II Cor. VII, 1: καθαρισωμεν ἑαυτους ἀπο παντος μολυσμου σαρκος και πνευματος; tum legitur Gal. V, 24: οἱ του Χριστου Ἰησου την σαρκα ἐσταυρωσαν.

Hæc omnia satis ostendere arbitramur, non sine magna difficultate singula de hujus vocabuli apud Paulum Apostolum vi et usu ratione vere philologica expedire licere. Difficultates autem hæ fere sunt. Si constat vocabulo illo σαρξ proprie materiam illam significari aut totum corpus materia illa concretum, nonne absurdum est, ita hoc vocabulum usurpari, ut significet aliquid a corporis vita tam abhorrens, ut, quomodo inde derivetur et cum illa cohæreat, vix excogitari liceat? An fortasse vere non in mente spirituque hominis sed in corpore ejus illa posita sunt, quæ primo saltem adspectu mentis spiritusque propria esse videntur? — Sed si vere locis illis ejusmodi aliquid significatur, quod non ad corporis sed ad animi vitam proprie pertineat, idque ita, ut vix ullo modo inveniri possit, quomodo cum corpore cohæreat aut a corporis vita pendeat; tum qui factum est, ut ad talem significationem vocabulum adhiberetur, quod proprie materiam illam aut corpus significaret? — Et sive hoc fuit sive illud, quomodo singula singulis locis explicari debent?

Sed quamquam ubique fere singularum rerum diligentiori opus est explicatione, non omnia tamen æque difficilia sunt. Illa enim quæ ejus modi sunt, ut est: ἐκ σπερματος Δαβιδ κατα σαρκα, et κυριοι κατα σαρκα, ita fere expediri posse videntur: ex semine Davidis, quatenus unus existeret, qui carnis indutus esset materia, et: domini, quales hic vivunt, carne præditi aut in carnem habentes potestatem. Quamquam non simpliciter sane hæc a Paulo cogitata esse videntur, illud maxime, quod in posteriori loco est. Ferri tamen poterunt, si necesse erit. Nec

majora in doctrina Apostoli hæc attingunt. Quum vero vocabulo illo aliquid significatur, quod pravum sit, quod omnino non esse debeat, quod quasi morte damnandum sit, tum maximi momenti cognoscere est, illud num ideo apud Paulum σαρξ appelletur aut ad την σαρκα referatur, quia in corpore ejusque vita positum sit, vel omnino quid illiusmodi locis tali appellatione Apostolus complectatur, et quomodo fieri possit, ut ad id indicandum tali utatur significatione. Ad eos igitur locos nos præcipue conferamus, ubi de pravitate humana sive de peccato agitur. Ita ab interpretibus quoque factum est. Quorum quidem libros jam adeamus, ut, difficultatibus, quæ ipsis apud Paulum locis objiciuntur, quasi digito monstratis, jam ea, quæ a viris eruditissimis de hac re docemur, proferamus.

II. Ut igitur libros eorum evolvamus, qui inter christianos quum omnino tum in hac de pravitate humana quæstione præstantissimi exstiterunt rerum divinarum interpretes — ceteri enim relinquendi fuerunt —; duo illi, quibus præter ceteros datum fuisse constat, ut sua ipsorum vita et humani peccati et gratiæ divinæ vim atque naturam experirentur, quæque tali modo penetravissent, ceteris acute pronuntiarent, Augustinus et Luther, in eo ambo consentiunt, non tali modo vocabulum illud σαρξ apud Paulum usurpari solitum fuisse, quasi in corporis propria vita pravitas posita esset humana. Et apertissime uterque statuit, appellatione illa σαρκος omnes humanæ naturæ regiones sua quamque ratione depravatas Paulum Apostolum complexum esse; talique modo rem se habere, allatis locis demonstrare student.

Augustinus in libris illis, quos inscripsit de civitate Dei, quum de peccato philosophatur, libr. XIV, 2—4 hæc dicit: eam librorum sacrorum esse consuetudinem, ut vocabulo illo σαρκος ita utantur, ut omnia humanorum peccatorum genera hac appellatione comprehendantur et corporis et spiritus, idemque illo κατα σαρκα vivere significari soleat, quod sit secundum semetipsum, secundum hominem vivere, non secundum Deum; quippe partem pro toto poni, quod quidem non ita solum fieri solere, ut ἡ σαρξ, sed etiam ita, ut altera humanæ naturæ pars ἡ ψυχη pro toto homine ejusque per se natura usurpetur. Hæc ita esse, et aliunde et maxime ex his locis Gal. V. 20; I Cor. III, 2; I Cor. II, 14; Gal. II. 16; III. 11 argumenta profert. Sed si cui hanc argumentationem cognoscere placebit, Augustini illa ipse adeat. Quæ legantur, dignissima sunt. — Hunc virum excellentissimum, quantum nos invenimus, in medio, ut ajunt, ævo præstantissimi secuti theologi sunt; quamquam paulo ad aliam vocabuli explicandi rationem propensiores fuisse videntur. Apud Thomam enim Aquinatem in Summ. II. Quæst. LXXII art. II hæc sunt: Omnia peccatorum genera sunt carnalia, Gal. V. Caro sumitur pro homine, qui

dum secundum se vivit, secundum carnem vivere dicitur, sicut Augustinus dicit lib. XIV. Et hujus ratio est hoc, quod omnis rationis humanæ defectus ex sensu carnali aliquo modo initium habet. Hæc quid sibi velint, postea explicatur. Et ad Gal. V pag. 168 dicit: peccatum dici potest carnale dupliciter: quantum ad consummationem: luxuria, gula; quantum ad radicem: omnia. — Hæc explicandi ratio quomodo cum doctrina Papistarum cohæreat, non hujus loci explanare est. Proprium tamen optimis medii ævi theologis fuisse videtur, ut cum Augustino statuerent, omnem hominis vitam et corporis et spiritus ibi quoque significari, ubi appellatione carnis pravitas humana indicaretur.

Hoc etiam magis Luther noster tenuisse videtur; quamquam ne apud eum quidem Augustinianum illud omnino servatur. Lutheri autem verba hæc sunt, in ipsa illa præfatione, quam Paulinæ ad Rom. epistolæ a se editæ præmisit, Erl. Ausg. Bd. 63, p. 126: Fleisch und Geist musst du hie nicht also verstehen, dass Fleisch alleine sei, was die Unkeuschheit betreffe, und Geist, was das Innerliche im Herzen betreffe, sondern Fleisch heisset Paulus, wie Christus Joh. III, 6 alles, was aus Fleisch geboren ist, den ganzen Menschen, mit Leib und Seele, mit Vernunft und allen Sinnen, darumb, dass es alles an ihm nach dem Fleisch trachtet. — Similia apud Calvinum, Bengelium, alios inveneris. Sed satis erit hos commemorasse. Hi quamquam non semper tanta vi, quanta apud Augustinum fiebat, in corpore præcipue peccatum positum esse, hac carnis appellatione indicari, negant, id tamen omnes sequuntur, ut appellatione illa apud Paulum omnem naturæ humanæ et qua corpore et qua spiritu vivitur pravitatem significari, ostendant. Nec contra Augustinum disputant. Jam apud hos, ut vidimus, id quoque opera data est, ut, quomodo tali uti liceret appellatione, expediretur. Sed hæc apud eos non nisi secundo loco tractata quæstio est.

Alterum autem interpretum genus est eorum, qui hoc ante omnia tenent, ut, ita quomodo fieri potuerit, ratio reddatur probabilis. Explicatione illa Augustiniana, partem pro toto poni, non contenti, id sibi ante omnia proponere videntur, ut in singulis locis interpretandis significatio illa, quæ principalis vocabuli *σαρκος* est, retineatur, nec concedatur, — ut cum Ernestio loquamur, Vom Urspr. der Sünde nach Paulin. Lehrgehalte, Gött. 1862. II, 50, — dass in der Genesis der verschiedenen Bedeutungen der *σαρξ*, eine Berechtigung liege, dasjenige Moment fallen zu lassen, das der ursprungl. Bedeutung der *σαρξ* am nächsten liegt. Hoc usque tenentes eo perveniunt, ut illa negent, quæ Augustino Lutheroque ante omnia statuenda esse videbantur. Hujus interpretum generis multos afferre potueris a remotissimis quoque temporibus. Nobis hos tantum commemorare satis esse videtur, Kœst-

linum, Meyerum, Ernestium, utpote qui his temporibus et disertissime, quid sentirent, explicaverint et propter acumen ingenii doctrinæque copiam summa floreant auctoritate. Apud Kœstlinum, Der Lehrbegriff des Evangeliums und der Briefe Johannis und die verwandten neutestamentliche Lehrbegriffe Berl. 1843 s. 206 f. legitur: Eigenthümlich ist dem Paulus die Auffassung der *σαρξ* als des Sitzes und Grundes der *αμαρτια*. Der Geist, *πνευμα, νους, ἐσω ἀνθρωπος* ist dasjenige, welches den göttlichen Willen anerkennt, mit Wohlgefallen festhält und zu verwirklichen trachtet; das Fleisch dasjenige, was dem Menschen übrig bleibt, wenn man den Geist hinwegdenkt, d. i. der Körper, die Sinnlichkeit als lebendige Quelle aller ungeistigen und ungöttlichen, s. besonders I. Cor. III, 1—4. Gal. III, 3. II. Cor. I, 12, 17, X, 2—6, XI, 18. Rom. VI, 19., und aller dem Geist und Gott widerstrebenden Willensrichtungen. Dualismum igitur Paulum Apostolum hoc vocabulo statuisse putat. Sed non omnes ita. H. ille A. Gu. Meyer in commentariis suis hæc dicit, Rom. III, 1: Die *σαρξ* im ethischen Sinne ist die psychisch leibliche Menschennatur, als solche das Lebensgebiet der Sündenmacht im Menschen, theils im Gegensatz gegen die höhere, geistige, sittliche Natur des Menschen selbst, welche sein *πνευμα* mit dem *νους* ist (VII, 18, 25 und siehe zu Eph. IV, 23), theils dem uebermenschlichen Göttlichen Lebensgebiete und dessen Einwirkungen entgegengesetst und das wie hier blos menschliche, nichtpneumatische, an sich, mithin die sich selbst überlassene, der gottlichen Geistes- und Gnadenwirkung entbehrende Menschlichkeit bezeichnend. Meyerum hæc ita intelligere, *το πνευμα του ἀνθρωπου συν τῳ νοι* ad Deum semper conversum esse, neque in eo peccatum positum esse sed in corpore ejusque vita, *ἐν τη ψυχῃ*; eam igitur peccati humani naturam esse, ut vi *της σαρκος αὐτου* captum atque oppressum sit *το πνευμα* ipsius, hæc aperta sunt, quum dicitur I Cor. III, 1: die *σαρξ* d. i. die dem göttlichen Geiste entgegen stehende sinnlich menschliche Natur, welche als Trägerin der Sündenpotenz und der Lust die Unfähigkeit bedingt, das göttliche Geisteswalten zu erkennen, vergl. V, 14, und dem Zuge des *νους* nach dem Göttlichen Willen, Rom. VII, 18, 25, zu folgen, siehe zu Rom. 4, 1, 6, 19, 7, 14. Eodem spectat id quoque, quod est Eph. IV, 23: Da das Substrat des inwendigen Menschen, das *πνευμα*, an welchem der *νους* seinen Träger und sein bestimmendes Agens hat, unter der überwiegenden Gewalt der Sündenpotentz im Fleische unfrei, gebunden und schwach ist, so bedarf das *πνευμα του νοος* der Erneuerung zur sittlichen Freiheit und Macht, welche Weihe der Kraft es in der Wiedergeburt empfängt. Et II Cor. VII. 1: Der Christ wird an dem Fleische, d. i. an dem materiell physischen Theile seines Wesens, befleckt durch Hurerei, Völlerei, und dergleichen direct den Körper, welcher heilig

sein soll, I Cor. 6, 13; 7, 34, verunreinigende Laster; sein Geist aber d. i. das Substrat seines vernünftig sittlichen Bewusstseins, die Werkstätte des göttlichen Geistes in ihm, wird befleckt durch unsittliche, mittelst der Sündenpotenz im Fleische ihm zugeführten Gedanken, durch welche der Geist sammt dem *νους* sündlich afficirt, schwach und gebunden und der Sünde dienstbar wird. — Et in iis quæ ad cap. VII ep. ad Rom. animadvertit, contra Lutheranorum illud, in superioribus præcipue vitæ viribus peccatum humanam positum esse, disputat, quasi cum doctrina Apostoli consentaneum non sit. — His omnibus apparere arbitramur, Meyerum, quamquam ubique fere, quum *το πνευμα* opponitur *τῃ σαρκι*, divinum spiritum intelligit, cum iis consentire, quæ apud Ernestium sunt in libro commemorato II, 53: Obgleich Paulus mit der durchgreifenden Beziehung, welche er der Sünde zur *σαρξ* giebt, keineswegs den Grund der Sünde in einer ursprünglichen Unempfänglichkeit der Sinnlichkeit für die bestimmende Kraft des Geistes setzt, so fasst er doch das Wesen der Sünde, in welchem Verhältnisse und in welcher besonderen Form diese sich auch zeigen mag, nach ihrer allgemeineren in allen Sünden gleichen Form als ein Sein und Verhalten auf, bei welchem der Mensch sich nicht dem Princip des Geistes, seiner ihm mitgegebenen geistigen Wesenheit, einem innersten Wesensgrunde bestimmt, sondern sich — versteht sich kraft eigener Selbstbestimmung — durch das Princip seiner irdischen Individualität, seiner sinnlich beseelten Wesenheit, seiner mit dem materiellen Wesen dieser Welt zusammenhangenden Wesenserscheinung bestimmen lässt.

Sed tertium quoque interpretum genus est, eorum dico, qui non minore profecto, quam illi, quos supra commemoravimus, philologicæ doctrinæ copia instructi eo nituntur, ut non solum Augustini illud Lutherique retineant, sed etiam ratione vere philologica rem expediant.

Inter hos, ut eorum tantum, qui uberius in hac re versati sunt, faciamus mentionem, Tholuckius primus, ut ipse ait, Augustini libris adductus contra philologos illos e rationalistarum maxime proficiscentes familia in commentariis suis et in libro illo Studien und Krit. 1855. disputationem instituit. Multa ibi ad demonstrandum profert, necesse esse Paulum appellatione illa *σαρκος* ejusmodi quoque peccata complecti, quæ proprie non ad corporis sed ad mentis spiritusque vitam pertinent, totam igitur hominis ante acceptum Spiritum Sanctum vivendi rationem peccato depravatam vocabulo illo indicari. Quam significandi rationem quomodo Paulus adhibere potuerit, ex consuetudine sacrarum Veteris Testamenti litterarum repetens, his verbis sententiam suam comprehendit: בָּשָׂר bedeutet im Alten Testamente der

Mensch mit der notio adjuncta der Hinfälligkeit. So bedeutet es im Neuen Testamente im ethischen Sinne: Das Menschliche mit dem Nebenbegriff der Schwachheit und Sündlichheit, die menschliche Schwachheit. — Dass die schwache sündliche Menschheit בשר, σαρξ genannt wurde, hatte eben darin seinen Grund, dass er mit dem ohnmächtigen und zur Sünde reizenden Organismus umkleidet ist. Postea pergit: Wie Rothe — Eth. 2, 175 — zeigt, geht nicht nur die Reizung zur Sinnlichheit sondern die Selbsucht im engeren Sinne daraus hervor, insofern der materielle Naturorganismus nur auf die Vollziehung seines individuellen Ichs geht. De Rothio vide Ern. I, 37. — In postremis Tholuckius p. 497: Nach der Lehre der Apostel fallen die sollicitirenden Impulse zum Bösen auf der Seite des Körpers.

Tholuckium Julius ille Mueller secutus est, qui de natura peccati multa optime scripsit. In libro illo: Die christlische Lehre von der Sünde, docta et copiosa commentatione Augustinum Lutherumque vocabulum illud apud Paulum σαρξ recte interpretatos esse, argumentis philologicis comprobare studet. Significationem hujus vocabuli ut apud ceteros Novi Testamenti scriptores, ita apud Paulum ex usurpatione, quæ in Vetere Testamento est vocabuli בשר, repetens I pag. 447 3:te Ausg. hæc ait: Von der Wurzel des Begriffes — irdisch materielle Substanz — ausgehend bezeichnet Paulus öfters durch σαρξ die aeussere, sinnlich wahrnehmbare Seite des menschlichen Daseins. — Es ist ein natürlicher Fortschritt, wenn σαρξ die Bedeutung des irdischen Daseins des Menschen überhaupt und der ihm eigenthümlichen Zustände und Verhältnisse gewinnt. — Es lag dann sehr nahe mit dem Alten Testamente die menschliche Natur selbst auf ihrer gegenwärtigen irdischen Entwickelungsstufe und die ihr angehörigen Einzelwesen, besonders als Gesammtheit gedacht, durch σαρξ zu bezeichnen. — Das Neue Testament überschreitet dann das Alt-Testamentliche: eine allgemeine Richtung, diejenige, welche in Lust und Begierde den Gütern der Welt zugekehrt und darum von Gott abgewandt ist. Wesentlich begründet in der nachgewiesenen Genesis des Begriffes ist die Hingebung an die Güter des κοσμος. — Das Princip der Selbstsucht tritt dagegen in dem Paulinischen Begriffe der σαρξ in der Hintergrund. So hat denn dieser Begriff da seinen Ort, wo das Princip der Selbstsucht sich durch die Weltlust vermittelt und verhüllt. Vergl. s. 211 ff.

Quod apud hos invenimus, idem Franciscus ille Delitschius sequitur in libro illo, qui inscribitur Psychologia biblica. Multa ibi copiose docteque disputat. Sed ut verba ipsius afferamus, pag. 313 est: Es ist die ganze sündige und dem Tode verfallene Natur des Menschen, welche σαρξ genannt wird. Eumque hoc ita intelli-

gere, ut *του πνευματος* quoque naturam simul comprehendat eamque suo modo, non tantum carnis affectione, corruptam esse velit, ex iis apparet, quæ sunt pag. 160, ubi de prava hominis voluntate agit: Das Willen ist in allen Fällen des Geistes, aber des in die *σαρξ*, in die *ψυχη*, in seine eigene verderbte *φυσις* entsunkenen Geistes, et pag. 381, ubi contra Meyerum, Formulam concordiam in illo, quod est: superioribus præcipue viribus, cum libris Paulinis congruere, defendit. Pag. autem 373 ipsius quæstionis de appellatione *της σαρκος* hanc affert expeditionem: Mit Recht stellt Hengstenberg die Frage auf, wie es komme, das die Natur gerade *σαρξ* genannt werde. Er antwortet: weil die vom Geist ausgehenden Impulse auf das Fleisch, die materielle Natur einen Eindruck machen, weil die Sünden von körperlichen Erregungen begleitet sind und in dem Körper sich gleichsam ablagern, weil sündige Impulse in der materiellen Natur auch schon infolge der Erbsünde sind, denn wie könnte es sonst Familiensünden geben? — Das ist alles richtig, aber die rechte letzte Antwort ist die, welche wir Abschn. III. § 1. g. E. gegeben. Illo loco de differentia inter diabolorum hominumque peccata disputatur; paginaque 125 dicitur: die Ursünde des Menschen war indirect leiblich, sarkisch, vermittelte Erhebung wider Gott. Et paullo infra: Die mit der Schöpfung des Menschen gekrönte Welt war sehr gut. Sie war aber aus dem Chaos heraus zu diesem Stande emporgebracht und auch der sehr gute Stand des Menschen ruhte auf dem zum Substrate seines Lebens gemachten chaotischen Grunde. Die Potenzen dieses Grundes, für sich allein Potenzen des Zornes und Todes, waren durch den Geist des Lebens dem Leben dienstbar gemacht, und dieses Leben war in dem persönlichen Menschen für die ganze Erdwelt an Gott den lebendigen gekettet und sollte in der Gemeinschaft mit ihm sich behaupten und fortschreitend befestigen. In dem der Mensch seinem in Gottes Liebe wesenden Leben entfiel, ward ebendamit der Naturgrund seines Lebens zum Abgrund des Todes. Et pagina 373 pergitur: Der ganze natürliche Mensch heisst *σαρξ*, weil er ganz und gar, auch mit seinem Ich — vide quæ sequuntur apud Delitschium —, in die Gewalt der schlimmen Potenzen seines Naturgrundes gerathen ist.

Hæc ii, qui copiosius in hac re elaborarunt, præstantissima protulerunt *). Multi idem fere secuti sunt; quorum Neandrum solum nominemus, ut qui non solum inter primos hujus generis interpretes fuerit, sed etiam et Muellero admodum probetur et in

*) Hofmannus in libro illo, qui inscribitur Schriftbeweis, copiose hanc rem tractavit. Sed tam ambigue scripsit, ut nimis longum et subtile sit sententiam ejus et exponere et examinare. Si ad tertium interpretum genus referendus est, Delitschio proximus est.

prioribus saltem, quæ de hac re dixit, magis quam ceteri cum Augustino stare videatur. Is in libro illo Geschichte der Pflanz. Hamb. 1847 p. 664 hæc ait: Die Begriffe *σαρξ, κοσμος, πνευμα του κοσμου* entsprechen einander. So bezeichnet die *σαρξ* die menschliche Natur überhaupt in dem Zustande ihrer Entfremdung vom göttlichen Leben, die Richtung zur Welt als eine von der Richtung zu Gott losgerissene, und es kann aus dieser Bezeichnung gar nichts darüber bestimmt werden, was Paulus als die Eine Grundrichtung aller Sünden betrachtet, oder ob er überhaupt eine solche angenommen habe. Ueber das letzte findet sich allerdings bei ihm keine bestimmte Erklärung. Wie er aber das *Θεῳ, Χριστῳ ζην* als das Princips des Guten im Menschen setzt, so liegt darin, dass das sich selbst Leben, Gal. 20, die Grundrichtung des Bösen sei. Hæc quum dicit, magis quam ceteri Augustini illud, quale apud ipsum est, retinere videtur. Non prorsus ita in iis, quæ adduntur: Theils nun in sofern die Macht des sündhaften Princips bei dem gegenwärtigen Zustande der menschl. Natur sich besonders in den Widerstreite der sinnlichen Triebe gegen das von dem Geiste anerkannte Gesetz zu erkennen giebt, theils insofern das Christenthum zuerst besonders unter den Ständen, in welchen es mit der Macht der sinnlichen Rohheit am meisten zu kämpfen hatte, sich verbreitete, theils insofern der Körper der die Seele beherrschenden sündhaften Richtung als Organ dient und die Macht sündhaften Gewöhnung mit der erlangten Selbstständigkeit länger in ihm fortwirkt, nachdem die Seele eines höheren Lebens theilhaft geworden; — in allen dissen Beziehungen geschieht es, dass Paulus öfters den der sündhaften Gewöhnung dienenden Leib für das ganze Wesen der Sünde setzt.

III. Ex his, quæ jam adlata sunt, satis apparere arbitramur, cuicumque placuerit huic de carne quæstioni operam dare, non quasi in agro inculto laborem ponere. Multa profecto viri protulerunt doctissimi iidem et ingeniosissimi. Sed inter se multifarie eos discrepare, vidimus. Nos igitur, ut in hac sententiarum explicationumque varietate, ex iis, quæ nos docuerunt homines eruditissimi, quidnam accipere debeamus, quidnam non, quidque omnino de re ipsa statuere oporteat, dijudicare conemur; præstantissimi illi viri, quos ad tertium interpretum genus referebamus, quin quod omnibus ipsis commune atque principale esset, ut bene interpretatos esse Augustinum Lutherumque philologica ratione ostendere studerent, rectissime secuti sint, dubitari non posse videtur.

Augustinum enim Lutherumque, quum contenderent, vocabulo illo *σαρξ* apud Paulum totam hominis et corporis et animi vel spiritus mentisque non affectam Spiritu Sancto vitam indicari, recte judicavisse, multis rationibus viri illi Tholuckius,

Jul. Mueller, Delitschius, comprobaverunt. Gravissima autem argumenta hæc esse videntur, ut nostro modo ea afferamus. Quum dicuntur Gal. V. 20 *ἐρις, ζηλος, αἱρεσεις* ceteraque ejusdemmodi *ἐργα* esse *της σαρκος*, nihil est, quod ullo modo has notiones circumscribamus, velut fortasse rerum externarum finibus. Ita igitur intelligenda sunt, quemadmodum nulla re adjecta intelligi solent. Jam vero notiones illas ad corporis tantum vitam referre omnino non licet. Possunt illa quidem *ἐρις κτλ.*, quibus in animo, non in corpore vigere proprium est, ita oriri, si corporis indulgetur cupiditatibus. Sed non necesse est. Non minus ex animi quam e corporis vita illa promanant *ἐρις, ζηλος, αἱρεσεις*. Hæc nullo modo negari possunt. Eodem modo, quum Coll. III, 18 est *φυσιουμενος ὑπο του νοος της σαρκος αὐτου.* Qui illic castigatur, quod mente sua id conceperit, sibi omnia, quæ ad corporis vitam pertinent, tollendā et quasi necanda esse, eum non ideo ad talem vitæ rationem pervenisse intelligi potest, quia ea, quæ ad corporis vitam attinerent, mente sua sequeretur, quæ spiritus humani essent non, sequeretur. Nemo, credimus, hoc putaverit. Immo contraria. Similiter quum reprehenduntur Corinthii I Cor. II et III, quod factionibus alii aliorum in religione magistrorum sequendis *σαρκικοι* essent, quodque *σοφιᾳ* studerent *σαρκικῃ*; nihil est, quo indicetur, cum studio rerum externarum, rerum, quæ ad corpus pertinent, Corinthiorum illa conjuncta esse, quod propter religionem in factiones discederent et sapientiæ studerent. Hæc vero per se ad vitam referenda esse videntur, quæ *τῳ πνευματι και τῳ νοϊ* vivitur, non quæ *τῃ σαρκι* et, sicut dicere solent, *τῃ ψυχῃ*. An non ad vitam, quæ *του πνευματος του ἀνθρωπου* est, pertinet philosophari et religionem habere? Et num ad corpus aut externas res illa, quorum caussa castigantur Corinthii, philosophandi et religionis habendæ genera ullo modo spectavisse, probabile est? Nemo sane hoc dixerit. Hæc satis argumenti habere arbitramur, quo demonstretur, totam Paulum non minus *του πνευματος* quam *του σωματος* vitam appellatione illa vocabuli, quod est *σαρξ*, complexum esse. Tum quoque, quum pravitatem humanam ad *την σαρκα* refert, ejusmodi pravitatis genera commemorat, quæ quomodo e corporis vita profluant, excogitare non liceat, quæ in eo ipso posita sint, ut corporis cupiditatibus omnino non indulgeatur. Nec illa contra sunt, quæ Rom. VII leguntur. *Τον νουν* enim ibi induci luce divinæ legis — quæ ad vitam, quæ in Spiritu Sancto est, pertinet, *ὁ νομος ἐστι πνευματικος,* — collustratum, quin credamus, nihil est, quod impediat. Nec illud, quod de membris dicitur, ad refellendum valet. Membra enim instrumenta sunt, quibus is qui voluntate præditus est ad perficiendum id quod velit utitur. Membra per se, quominus rectum perficiatur, non prohibent. Voluntas, quam membra sequuntur, prohibet. Certamen igitur re vera voluntatis cum voluntate Paulum ibi depingere, admodum

2*

probabile est. Nec illa contra sunt, congruentia, quæ inter *το σαρκικον* et *το ψυχικον* est I Cor. XI, 14, et ea, quæ leguntur Rom. VIII, 14: *εἰ πνευματι τας πραξεις του σωματος θανατουτε, ζησεσθε.* Sed hæc uberius postea. Certe de his dubitari potest, neque vero de illis, quæ ad suam probandam sententiam jam attulit Augustinus, copiosiusque explicarunt Tholuckius, Mueller, Delitschius.

Sed neque Augustinus neque Luther philologicis de hac re quæstionibus satisfecerunt. Nam Augustiniano illo, partem pro toto adhiberi, quis contentus esse possit? Potest illud quidem recte dici, sed semper ea oritur quæstio: curnam ista pars? Cui quidem quæstioni Augustinus, quantum nos scimus, nihil. Nec facile quis dixerit, apud veteres illos, qui Augustinum Lutherumque secuti sunt, rem ad finem perductam esse. Laudanda igitur omnia eorum studia sunt, qui id sibi proposuerunt, ut in hac quoque re ratione uterentur vere philologica. Multa verissima in argumentando ii quoque protulerunt, qui, sicut apud Koestlinum est, sententiam prorsus dualisticam, ut ajunt, Paulo Apostolo tribuere audent. Sed hi quantum absint a doctrina Apostoli intelligenda, ab iis quoque, quos ad ipsorum familiam adnumerandos esse arbitrati sumus, adeo argumentis demonstratum est, ut, quin in suo illo omnino erraverint, amplius dubitari non possit. Meyer contra eos disputat, et Ernestius hoc ipsum libro suo sibi refellendum proposuit. Sed ne hi quidem ipsi, Meyer et Ernestius, recte judicarunt. Quum enim ex principali vocabuli significatione proficiscentes eamque ita retinendam esse statuentes, ut numquam in aliud transeat, oppositionemque illam, quæ Rom. VII inter *νουν* et *σαρκα* est, adhibentes, congruentiamque, quæ I Cor. II, 14 est *του σαρκικου* et *του ψυχικου*, ubi utrumque *τῳ πνευματικῳ* opponitur, considerantes, eo in interpretando perveniunt, ut Pauli eam doctrinam esse contendant, in eo peccatum positum esse humanum, ut vitam, quam hominibus *τῳ πνευματι ἑαυτων και τῳ νοϊ* vivere datum est, vita, quæ *τῳ σωματι και τῃ ψυχῃ*, quæ sit vitæ, quæ in corpore est, fons atque principium, vivitur captam atque oppressam teneat; — hæc quum contendunt, non recte judicare videntur. Admodum difficile est sententiam eorum ut intelligere ita eam ob caussam argumentis refellere. Si enim nihil aliud dicunt, quam id, quo hominibus tributum est cum Deo in intima amoris conjunctione vivere, post lapsum Adami sublatum illud quidem esse, sed restitui posse sine ulla novæ, ut ajunt, substantiæ creatione; — si nihil aliud dicunt, recte dicunt. Et videntur saltem ad *τα ψυχικα και σαρκικα* omnia ejusmodi quoque ducere, cujusmodi est cum Platone philosophari. Hæc cum judicant, haud dubie ex sententia Paulina recte judicant. Sed quum dicunt, esse quandam humanæ vitæ quasi partem, *το πνευμα* scilicet *συν τῳ νοϊ αὐτου*, quod non solum semper maneat, sed ita semper maneat, ut

oppressum illud quidem sit captivumque neque vero, sicut *ἡ σαρξ συν τῃ ψυχῃ*, corruptum atque depravatum, quumque in eo tantum peccatum positum esse dicunt, ut superiores spiritus mentisque vires inferioribus animæ corporisque quasi obrutæ sint, cum quibusdam ab ipsis concessis vix consentanea dicere videntur; certe cum illis, quæ protulerunt Augustinus et Luther, non consentiunt. Si igitur demonstratum est, recte Augustinum Lutherumque Pauli Apostoli sententiam interpretatos esse, hi non recte judicaverunt.

Hæc quum ita sint, satis apertum esse videtur, Tholuckium, J. Muellerum, Delitschium recte fecisse, quum et Augustini illam sententiam defendere operam darent et aliam, quam quæ apud Meyerum ceterosque est, explicandi rationem invenire studerent, viam tamen semper sequentes vere philologicam.

Jam inter hos si quis esset, cujus sententiæ omnino acquiescere nobis licere arbitraremur, ad finem hujus quæstionis pervenissemus, nec fere quidquam addendum haberemus, nisi forte in singulis locis aliam, quam quæ jam inventa esset, meliorem videri interpretationem. Sed non ita est. Quamquam enim multa illi præclarissima dixerunt, nemo tamen eorum est, cui non modo in singulis sed ne in illo quidem ipso, in quo rem expeditam esse velit, prorsus adsentiri possimus. Nam, ut ea, quæ singulis locis statuerunt, relinquamus, neque Tholuckium, neque J. Muellerum, neque Delitschium in iis, quæ ipsorum cuique propria sunt, quæstioni ipsi satisfecisse, arbitramur.

Tholuckius enim quum dicit, semper debilitatis adjunctam notionem esse vocabulis בשׂר, *σαρξ*, eamque ob rem, ubicumque de rebus ethicis, ut ajunt, mentio est, *σαρξ* idem esse ac debilitatem humanam, quumque inde proficiscentem omnem hujus vocabuli significationem se expedivisse putat; nimis a principali significatione aberravisse videtur. Certe non semper neque in בשׂר neque in *σαρξ* debilitatis adjuncta notio est. Quod enim est Gal. II, 16: *οὐ δικαιωθησεται πασα σαρξ,* prorsus idem est atque illud, quod paulo supra est: *οὐ δικαιουται ἀνθρωπος ἐξ ἐργων νομου.* Et quod dicitur Ps. CXLV, 21: יברך כל-בשׂר שׁם קדשׁו, nihil aliud hoc sibi velle videtur, quam, omnia, quæcunque vivunt, omnes homines nomini illi bene dicent. Neque in hoc neque in illo ulla notio aut debilitatis aut mortalitatis adjuncta est. Et si est Gal. IV, 13: *δι᾽ ἀσθενειαν της σαρκος* et Jes. XL, 6: כל-הבשר חציר, nonne in *ἀσθενειαν* et חציר omnis debilitatis et caducitatis notio continetur, non in *σαρξ* et בשר. Multis exemplis hoc probari potest.

Julius Mueller quum contendit, Paulum appellatione illa *της σαρκος* amorem *του κοσμου*, non amorem sui, *το ἑαυτῳ ζην*, indicare, non recte judicat. Illa enim, quæ Gal. V enumerantur *ζηλοι, ἐχθραι, ἐρις, το ἀλληλους δακνειν* et

si quid aliud iis contrarium commemoratur, quæ pertinent ad *το θεῳ ζην*, amorem sui significare, quis est, quin videat? Sicut jam ostendimus, nihil est, quod impediat, quominus ut alias, ita hoc loco vocabula illa cum propria sua vi usurpata nec ullis finibus circumscripta accipiamus. Nec dubium esse videtur, quin Apostolus *τῳ κατα τον αἰωνα τουτον, κατα τον κοσμον, κατα το πνευμα του κοσμου τουτου περιπατειν* omnia peccatorum genera complexus sit, non ea solum, quæ cum rebus externis, cum rebus spatii finibus circumscriptis cohærerent. Ac fortasse illud quoque dici potest, *τῳ ἑαυτῳ ζην* eadem prorsus apud Paulum contineri, quæ continentur *τῳ κατα κοσμον περιπατειν, τῳ τα ἐπι της γης φρονειν.* Certe nemo probaverit, Paulum, quum hic ad *το ἑαυτῳ ζην,* illic ad *το κατα κοσμον περιπατειν* humanam in peccando vitam referret, Muelleriana illa ratione inter Selbstsucht und Weltsucht distinxisse. Quæ quum ita sint, suspicari licet, non recte significationem vocabuli *σαρξ* doctum illum virum explicavisse, quum diceret: Wesentlich begründet in der nachgewiesenen Genesis des Begriffes ist die Hingebung an die Güter des *κοσμος.* Das Princip der Selbsucht tritt dagegen in dem Paulinischen Begriffe der *σαρξ* in den Hintergrund.

Sed ne Delitschii quidem sententiam satis probatam esse invenimus. Multa is de singulis præclarissime præcepit. Sed quum dicit, eam ob caussam totam hominis, et quæ *τῳ σωματι,* et quæ *τῃ ψυχῃ,* et quæ *τῳ πνευματι,* nondum accepto Spiritu Sancto, vivitur, vitam apud Paulum *σαρκα* appellari, quia illo, quod apud eum et corporis et animæ et spiritus Naturgrund nominatur, omnis hominis vita, etiam qua persona, ut ajunt, est, capta teneatur, nihil allatum invenimus, quomodo fieri potuerit, ut id quoque, quod apud Delitschium der Naturgrund des Geistes est, *σαρξ* appellaretur. An in iis quoque, quæ ad *την του πνευματος φυσιν* pertinent, ea, quæ *του σωματος* et *της ψυχης* sunt, majorem aliquam vim habent? Ut illud relinquamus, quod dicit de mundi ex chaotica quadam natura creatione, nonne illud, cujus sub potestate ante omnia post lapsum homines sunt, apud Paulum quoque *το πνευμα του κοσμου* est? Is num semper per materiam operatur carnis? An, si vere suam *φυσιν*, Naturgrund, *το πνευμα του ἀνθρωπου* habet, non per eam proxime *το πνευμα του κοσμου* cum hominibus communicare potest? Hæc Delitschius non expedit. Præterea in illis, quæ cum Hengstenbergio statuit, nihil fere argumenti esse videtur. Quibus quidem has objicere licet quæstiones. Nonne etiam in ea vita, quæ duce Spiritu Sancto vivitur, eadem fiunt, "dass die vom Geiste ausgehenden Impulse auf das Fleisch, die materielle Natur einen Eindruck machen, dass, was so geschieht, von körperlichen Erregungen begleitet ist und in dem Körper sich gleichsam

ablagert"? Et nonne fit, ut "auch in der Geistigen Natur sündige Impulse schon infolge der Erbsünde sind"?

Hæc, quæ jam attulimus, satis ostendere putamus, nemini horum omnino adsentiri nobis licere. Et eos hanc quæstionem ad finem non perduxisse, eo magis intelligitur, si consideratur id, quod in sententiis illorum examinandis jam tractare restat, illud dico, quod apud eos fieri videtur, ut, quamquam Augustini illud Lutherique retinere student, in re tamen expedienda ad rationalistarum quodammodo explicationem relabantur. Quum enim Tholuckius in quibusdam Rothio se consentire ait ceteraque illa, quæ eodem pertinentia supra attulimus, pronuntiat, J. Mueller quum rationes illas Neandri rectas esse statuit ipseque suo illo modo amorem sui e Paulinis *κατα τον κοσμον, κατα τον αἰωνα τουτον, κατα σαρκα περιπατειν* excludit, quum Delitschius nihil suspicatur esse, quod impediat, quominus illud, quod apud eum Naturgrund est, etiam in spiritu humano ejusque vita *σαρξ* appelletur; — hæc et similia quum dicunt, ab ejusmodi sententia non satis abalienati esse videntur, quin putent, præcipue saltem et majore aliqua vi in iis, quæ ad corporis vitam pertinent, aut cerni posse aut vere positam esse humanæ naturæ pravitatem; ita, ut hæc vita per se magis corrupta sit ceteramque hominis vitam quoddammodo oppressam teneat. Atque mira quadam ratione, sicut Meyer et Ernestius, ita hi notionem illam christianorum carnalitatis cum illo, quod apud philosophos sensualitas, Sinnlichkeit, est, confundere videntur. Hanc autem confusionem ita fieri suspicamur. Inter christianos ea usitatissima facta est loquendi ratio, ut, omnem Spiritu Sancto non affectam hominum vitam, omnem naturæ humanæ pravitatem, nomine carnalitatis, der Fleischlichkeit, appellarent. Inter eos autem qui in philosophando maxima florent auctoritate, sæpissime fieri solet, ut quidquid ita ab hominibus vivitur, ut quasi sua ipsorum vita circumscripti cum universo communitatem non teneant — qua notione omnem naturæ humanæ pravitatem, totum peccatum philosophi complecti solent — nomine sensualitatis, der Sinnlichkeit, appellent. Primo adspectu ab utrisque congruentia statui videntur. Qua congruentiæ specie theologi adducti esse videntur, ut putarent, eodem modo et sensualitatis et carnalitatis ortas esse appellationes. Et tali opinione factum esse videtur, ut Paulo Apostolo illam, quam commemoravimus, sententiam tribuerent. Christianorum illa loquendi ratio quin ex usu sacrorum scriptorum Pauli maxime Apostoli profecta sit, dubium non est. Quæ vero philosophi illi omnino de his rebus tradiderunt, ea magis cum Platone quam cum Paulo consentire, inter theologos his certe temporibus satis constat. Atque, ni fallimur, philosophorum illa loquendi consuetudo ex eo orta est, quod apud antiquos jam philosophos factum est, ut omnia, quæ prava essent, e corpore ejusque vita derivare propensi essent, om-

nia vero, quæ ad mentem rationemque pertinerent, bona ac recta esse dicerent. Hoc si recte dictum esset, non sine suo quodam jure sensualitatis, der Sinnlichkeit, nomine omnis humanæ naturæ pravitas appellari posset. Paulus vero num eodem modo *ἐργα της σαρκος* intellexerit, nos dubitare audemus. Dubitant illi quoque, in quorum sententiis examinandis hic versamur, theologi. Sed aliquantum eodem illuc relabi videntur. Certe in hac quæstione rem non satis expediverunt. Hanc ob caussam amplius de significatione *σαρκος* apud Paulum Apostolum quærendum est nec in illorum expeditionibus acquiescere licet. Eam enim quæstionem illos sibi proposuisse non invenimus, ut quærerent, num fieri posset, ut Paulus talem sententiam haberet, ut posset omnem humanæ vitæ pravitatem philosophorum ratione sensualitatem appellare, aut, si vere philosophorum illam amplecteretur sententiam, num probabile esset, eum sperare potuisse, illo modo ab iis, quibus verba faceret, ea, quæ diceret, intellectum iri; an potius prorsus aliam quærere necesse esset vocabuli explicationem. Nostrorum quidem temporum homines quamvis philosophorum sententiis imbuti sint, talia vix accipiunt. An quisquam, nisi in ipsis scholis philosophorum versatus sit, id intelligat, si quis dicat: Tu quam sensualis es, qui adeo patriam diligas, adeo sapientiæ studio te dedas, ut Deum colere tibi curæ esse non patiaris?

Quæstiones igitur illas, quas ipsis locis Paulinis objici arbitrabamur, apud interpretes quoque invenimus. Sed non ad finem hi eas perduxerunt. Restat igitur, ut amplius de iisdem quæratur. Sed non prorsus eadem quærenda esse apparet. Multa enim adeo probata sunt, ut de iis non amplius instituenda disputatio sit. Augustini scilicet illud, carnalitatis nomine omnem humanæ naturæ pravitatem significari, eam quoque, quæ in spiritu humano ejusque per se vita posita esset, spiritumque humanum e Pauli sententia vere depravatum esse. Itaque Delitschius, J. Mueller, Tholuckius id nobis diligentius quærendum reliquerunt, utrum putare liceret, eam Apostoli de natura peccati sententiam esse, ut e corporis præcipue vita ea prodire arbitraretur, quæ ad peccandum allicerent, eamque ob rem, quidquid peccaretur, ad *την σαρκα* referre posset, an potius prorsus aliam quærendam esse hujus vocabuli explicationem.

II.

Sicut jam initio diximus, ea ratio nobis sequenda est, ut excellentissimorum interpretum allatis examinatisque explicationibus, si quid amplius quærendum esse demonstratum sit, tali modo necesse sit procedatur, ut tum ex Apostoli in libris suis de hac re loquendi rationibus, tum ex consuetudine, quæ in Vetere Testamento est, vocabuli adhibendi בָּשָׂר, talem vocabuli *σαρκος* apud Paulum significationem repetere conemur, qua singula ita se expediant, ut nihil fere de hujus vocabuli apud Paulum significatione quærere reliquum sit.

I. Ut igitur primum libros Paulinos adeamus, ex superioribus patere, arbitramur, in ipsa illa *σαρκος* nominatione gravissimum theologos illos, quorum sententiis non assentiendum esse ostendebamus, nisi ita, ut ultra quærendo procederetur, argumentum invenisse, quo ad talem sententiam adducerentur, eam Pauli Apostoli de natura peccati doctrinam esse, ut præcipua aliqua ratione e corporis vita ea promanare sentiret, quæ ad peccandum sollicitarent. Nos jam omnes eos locos, in quibus *σαρξ* est, relinquentes id nobis quærendum proponamus, ceterisne locis vel omninone ita Apostolus de natura peccati verba faciat, ut ex illa quæ apud eum est omnia quæ ad peccandum pertinent ad *την σαρκα* referendi consuetudine, eam ejus de hac re sententiam esse, concludere liceat, quam theologi illi quodammodo certe omnes ei tribuere ausi esse videbantur; an inter ea, quæ omnino de natura peccati apud eum afferuntur, nihil sit, quod illuc spectet, sed potius omnia ejusmodi sint, ut necesse esse appareat, si non putare at suspicari, aliter eum illam vocabuli *σαρκος* adhibuisse nominationem.

Constat autem Meyerum, Ernestium, multos alios argumentis comprobavisse, nullo modo licere neque hæc, quæ ad *την σαρκα* pertinent, neque alia apud Paulum ita interpretari, quasi in corporis vita situm fuisse putarit, cur homines peccarent. Hoc ergo nos omnino relinquimus. Et illud tantum quærimus, eamne Paulus habuerit sententiam, ut putaret, pravitatem illam, in quam libera voluntate Adamo peccante omne hominum genus irruisset, eam esse, ut majori aliqua vi corporis quam spiritus humani vita depravata esset, hæcque spiritus humani vitam, depravatam illam quidem, sed non tantopere, quantopere corporis vita esset, teneret atque impediret; an nulla omnino illiusmodi apud Paulum inveniantur. Hæc autem si ipsa quæstio est, id ante omnia nobis videndum est, quomodo corporis vitam

Apostolus et in obediendo Deo et in peccando inducere soleat. Ac si demonstratum erit, vitam, quæ corpore vivitur, neque magis neque minus ad peccandum quam ad recte faciendum inclinantem induci, sed potius, quemadmodum unus semper homo est spiritus corporisque vitam in se comprehendens, ita corporis vitam voluntati, i. e. spiritus humani vitæ subjectam aut *τα του πνευματος του κοσμου* aut *τα του πνευματος του θεου* sequentem omnino apud Paulum induci solere; tum probatum esse arbitrabimur, ne in appellatione quidem *της σαρκος* hujusmodi quidquam licere se invenisse putare.

A. Ut igitur, quid de hac re Paulus statuerit, eruamus, ex illo exoriendum esse videtur, quod apud ipsum primum atque principale esse constat, ex iis dico, quæ *περι της δικαιοσυνης του θεου* traduntur. Rom. III apertissime dicitur, nullam aliam *της δικαιοσυνης του θεου* accipiendæ rationem esse, quam *δια πιστεως Ἰησου Χριστου*. Omnes, qui *το πνευμα του Χριστου* non acceperunt, justitia illa omnino carent omnisque eorum vita injusta est. *Παντες ὑστερουνται — Οὐκ ἐστιν δικαιος οὐδε εἱς.* — Quod quum tam aperte loquens omnes, qui unquam fuerunt, homines complectatur, quamquam hoc non expresse dicit, necesse tamen est, eum non solum ea, quæ ab hominibus aguntur, sed ipsam humanæ naturæ condicionem talem esse putare, ut justitia dei careat. Illud vero justitia divina carere idem est atque in peccando versari. Itaque omnes homines in peccando versantur, antequam divinum Spiritum *τῃ Ἰησου Χριστου πιστει* acceperunt, etiam ii igitur, qui, omni corporis cura omissa, ea sequuntur, quæ ad mentem rationemque pertinent. Hanc in peccando vitam multifarie Apostolus depingit: abalienationem ab obedientia Dei esse, dicit; inde magis magis magisque factum esse, ut caligine obrueretur *ἡ ἀσυνετος αὐτων καρδια,* itaque coecati creata pro creatore dei loco colerent; has ab caussas quasi pœnæ illatione factum esse, ut omnes naturæ humanæ ordines contemnentes ad *το ἀτιμαζεσθαι τα σωματα αὐτων* pervenirent, omniaque quæ ad communem vitæ societatem pertinerent negligentes *πεπληρωμενοι* fierent *πασῃ ἀδικιᾳ, πονηριᾳ, πλεονεξιᾳ, κακιᾳ, μεστοι φθονου, φονου, ἐριδος, δολου, κακοηθειας, ψιθυρισται, καταλαλοι, θεοστυγεις κτλ.* Rom. I. Similes singulorum peccandi generum enumerationes apud Paulum inveneris Gal. V, Col. III, II Thim. III.

In iis ut quæ ad rem nostram sint videamus, et ea enumerantur peccata, quæ ad illud referenda sint, quod appellare solent amorem sui, egoismum, Selbstsucht, et ea, quæ nomine, quo uti ethici solent, sensualitatis, der Sinnlichkeit, bene appellari possint. Sed haud facile quisquam argumentis refellere possit, si dixerimus, in his enumerationibus nusquam a Paulo factum esse, ut ad unam notionem ethicam omnia illa referret, sed potius eum aut ejusmodi peccata commemorare, in quæ ne

irruerent ii, quos adhortabatur, ei cavendum esset, aut ita singulorum vitiorum genera enumeratione comprehendere solitum esse, ut temere quodammodo se ipsa orationi offerrent. Nullus certe locus magis internam singulorum peccandi generum inter se rationem magis explanat, quam ille paulo supra commemoratus Rom. I. Quo quidem loco aperte dicitur, ea peccandi genera, quæ proprie ad corporis vitam pertinent, tum demum idque quasi pœnæ loco orta esse, quum *δια το την ἀληθειαν ἐν ἀδικιᾳ κατεχειν ὁ νους ἀδοκιμος* factus esset atque *σκοτισθεις*. Sed vix hoc loco id Apostolus sequitur, ut, quo modo singula flagitiorum genera inter se cohæreant, ethicorum ratione expediat. Quæ facta sunt, depingit. Ac ne tum quidem, quum nominationibus illis *του τα ἐπι γης φρονειν, του κατα το πνευμα του κοσμου, του αἰωνος τουτου, κατα τον κοσμον, κατα τον αἰωνα τουτον περιπατειν* omnem in peccando vitam complectitur, ejusmodi quidquam Paulus tradit. Unicuique enim legenti relictum esse videtur, ut ipse, qualia essent *τα ἐπι γης* et vita, quam hic in terris vivere homines solent, *τα του κοσμου κτλ.*, cognitione teneat. Nihil hæ nominationes ad quæstionem ipsam pertinent. Neque quidquam ejusmodi est, quum dicitur velut I Cor. X, 24: *μηδεις το ἑαυτου ζητειτω ἀλλα το του ἑτερου.* Nam quis argumentis comprobet, in admonitionibus illis non eam ab caussam tali modo Apostolum omnem in peccando vitam comprehendisse, quia, ne communitatem cum aliis negligentes semetipsos amarent, hortari in animo ei esset? Fortasse ita omnibus iis locis est, ubi ad amorem sui omnem humanæ naturæ pravitatem Apostolus referre videtur. Vide, quæ Ernestius II, 17 seqq. contra Muellerum disputat. Sed etiamsi non est, quum Paulus omnem in peccando vitam *ἑαυτῳ ζην, αὑτον ζην* appellat, ita vivere, ut, quidquid vivitur, ex semetipso is, qui vivit, omnia hauriat et ad semetipsum referat, nihil his locis est, quo efficiatur, non ita hæc accipi posse, ut is ex Apostoli sententia *ἑαυτῳ, αὑτος ζην* dicatur, si quis ea aut sola aut majorem ad partem sequatur, quæ ad corporis vitam referenda sunt. Dici illud quidem potest, homines ita vivere debere, ut ea sequantur, quæ ipsis vere commoda sint, quod quin *ἑαυτῳ ζην* appellari potuerit, quis contra dicat? et ut ita prorsus vivant, quomodo ut vivatur, in ipsis positum sit, nec aliena sequantur, quod quin *αὑτον ζην* vocari potuerit, vix dubium est. Apostolum vero tali modo illa non dixisse, apertissimum est. Sed illud quoque fieri potuisse videtur, ut talis humana esset natura, ut, si quis ita *ἑαυτῳ* viveret, ita *αὑτος* viveret, ut non Christo viveret, non Christus in ipso viveret, — nam his opposita Apostolum illa *ἑαυτῳ, αὑτον ζην* intellexisse, constat, — hoc semper ita fieret, ut non ea sequeretur, quæ ad *το πνευμα του ἀνθρωπου* sed ad *το σωμα* ejusque vitam pertinerent. In ipsa

igitur loquendi ratione ἑαυτῷ, αὐτον ζην nihil est, quo neque hoc neque illud pro certo confirmetur. Itaque aliunde quærenda talis confirmatio est.

Sed hæc omnia quamquam ita sunt, nihilo minus ex iis, quæ jam allata sunt, statuere licere arbitramur, nihil apud Paulum contra esse, si quis hanc fere ex scholis ethicis hujus rei proferat adumbrationem: In eo omnem naturæ humanæ positam esse pravitatem, ut, quum ipsa creatione hominibus datum esset, ita in toto rerum creatarum orbe principatum tenere, si suam ipsorum vitam, vel, ut dicunt, das Leben der Humanität, non modo qua corpore induti cum rebus, ut ajunt, naturæ cohærerent, sed etiam qua mente spirituque præditi essent, idque non per se soli, sed familiarum, nationum, totius generis humani conjuncti societate, verum, pulchrum, bonum sequentes, ita viverent, ut non a diabolo, cui proprium esset nihil nisi per se vivere velle, ad principatum illum, etiamsi ita fieret, ut contra voluntatem Dei esset, capessendum seducerentur, sed divinæ semper voluntati subjecti manerent et ex eo omnia ad vitam humanam vivendam haurirent; — in eo igitur omnem humanam sitam esse pravitatem, ut homines, ita creati, legi divinæ non obedientes sed, etiamsi cum Deo conjuncti non manerent, per se vitam illam vivere cupientes, a principali cum Deo societate libera voluntate abalienati diabolo serviant, idque aut ita, ut etiam nunc non nihil certe justos vitæ humanæ ordines tenentes, quæ corporis sunt, posthabeant iis, quæ ad mentis spiritusque vitam pertinent, familiarum, nationum, totius generis humani servent societates, ceteraque sequantur humanæ naturæ studia, a societate tamen cum Deo abalienati maneant; aut, sicut necessitate quadam in abalienatione a Deo eo procedendum esse videtur, eo usque progrediantur, ut in ordines illos invadentes tum corporis indulgeant voluptatibus, tum efflato animo ea, quæ corporis sunt, contemnant, tum per se soli vivere velint, nec quidquam quærant, nisi quod ipsis placeat, tum multis aliis modis id, quod humanæ ipsi naturæ proprium est, dirimant. — Martensen de his rebus optime præcipit in libro illo, quem inscripsit Den Christelige Ethik. — Ita si quis omnem naturæ humanæ pravitatem ethicorum ratione comprehendere velit, cum iis, quæ apud Paulum sunt, consentanea dixisse videtur.

Ex superioribus enim patere arbitramur, nihil in his esse, quod contra Apostolum sit. Apostolus autem ipse, ut qui non id sibi propositum haberet, ut ethicorum modo res explicaret, numquam, quantum nos videmus, tali modo has res tractavit. Sed si illa vere ex Apostoli sententia dicuntur, nihil est, cur credamus, eum in corporis vita majori aliqua vi pravitatem humanam infixam esse putavisse. Quæ apud Paulum πορνεια, μεθη, similia sunt, ea suo loco in adumbratione illa commemorantur. Hæc recte ad sensualitatem referuntur, itemque quidquid eo spectat, ut

corpori ejusque vitæ indulgeatur. Sed quidquid ita vivitur, ut communitas cum Deo non teneatur, ad sensualitatem ducere, hoc ferri vix potest. Sensualitatem appelles, si tibi tam mira uti placebit nominatione, ut vix quisquam, nisi qui in scholis philosophorum versatus sit, eam intelligere possit. Paulum tam mire appellavisse, probabile non est. Selbstsucht vero omnis naturæ humanæ pravitas bene appellari potest, quippe quæ in eo sita sit, ut semet ipsos, non Deum principatum tenere homines cupiant. Sed non ratione illa Muelleriana, qua inde die Weltsucht exclusa est, nec vulgari hominum loquendi ratione, qua ea non proprie saltem ad amorem sui referuntur, quæ ejus generis sunt, cujus est velut nimio studio patriæ se dedere. Ideo ne ad amorem quidem sui Paulum omnem pravitatem humanam retulisse nos statuere audemus. Ad sensualitatem vero, prorsus negamus.

B. At appellantur apud Paulum Apostolum ii, qui nondum novam per Spiritum Sanctum vitam acceperunt, *ψυχικοι* I Cor. II, 14, ii vero, qui Spiritu Sancto accipiendo novi facti sunt homines, *πνευματικοι*. Et loco illo sæpissime commemorato I Thess. V. omnis hominum natura ita comprehenditur, ut dicatur: *ἱνα ὁλοκληρον ὑμων το πνευμα και ἡ ψυχη και το σωμα ἀμεμπτως — τηρηθειη*. Distinguit igitur Apostolus inter *πνευμα* humanum et *ψυχην* humanam, et *την ψυχην* inter *το πνευμα* et *το σωμα* collocat. Jam quærat quispiam, nonne fieri possit, ut hæc tali modo intelligenda sint, ut is, qui in peccando versetur, ea tantum aut majorem ad partem sequatur, quæ ad vitam pertinent, quam *τῃ ψυχῃ* vivat, is vero, in quo nova per Spiritum Sanctum vita orta sit, eam ipsam vitam vivat, quam *τῳ ἑαυτου πνευματι* vivere hominibus datum est? Aut si non hoc, at aliquid certe ex illa loquendi ratione hauriri poterit, unde aliquid concludere liceat de anthropologica aliqua humanæ pravitatis natura. Nos igitur, quantum poterimus, quomodo hæc se habeant, videamus.

Ante omnia observandum est, ut non ex ethicis, ita ne ex anthropologicis quidem ejusmodi apud Paulum notiones inveniri, probabile esse, quæ quasi undique definitæ omnibusque locis propria et principali vi usurpatæ apud eos adhiberi solent, qui arte et ratione res anthropologicas cognoscere student. Paulus, ni fallimur, quamquam a doctrina non abhorrebat, popularium tamen ratione vocabulis et singulis et inter se copulatis utebatur. Quamquam altera ex parte, ut qui omnino distinguendi peritus esset, anthropologicis interdum notionibus ita usus est, ut his ipsis, quid sibi significandum haberet, indicaret velut I Cor. XII. XV. Videtur ibi non prorsus vulgari ratione illas usurpavisse. Sed ut apud nos etiam ab iis, qui in scholis versantur, sæpe eodem modo vocabula adhiberi solent, quo ea adhibere inter homines consuetudo est, ita, quin apud Paulum quoque fieri solitum sit, dubitari nequit.

Neque id dubium est, Paulus quin in iis, quæ de his rebus apud eum dicuntur, eam vocabulorum adhibendorum consuetudinem magnam ad partem secutus sit, quæ proprie sacrorum Veteris Testamenti scriptorum est. Sed ibi quoque non Scholasticorum ratione vocabula distinguuntur. Ut unum tantum afferamus, etiam in bestiis רוח esse dicitur.

Post has animadversiones ut, quomodo Paulus vocabulis, quæ sunt *σωμα, ψυχη, πνευμα,* usus sit, depromere conemur, *το σωμα του ἀνθρωπου* quid esse senserit, explanare non opus est. Neque quid apud eum *το πνευμα του ἀνθρωπου* sit, difficile intellectu est. Hac enim voce quin illud naturæ humanæ indicaverit, quo homines personalem, ut ajunt, vitam viverent, quo non solum præsentia sed etiam præterita ac futura, imo æterna cognoscendo, agendo, sentiendo comprehendere possent, quo omnino cum personis, ut ajunt, personalem vitam agere possent, vix ambiguum est. Haud facile enim quis negaverit, *το πνευμα* idem esse, sive dicitur *το πνευμα του θεου* sive *το πνευμα του κοσμου* sive *το πνευμα του ἀνθρωπου.* Paulumque *το πνευμα του ἀνθρωπου* aliquid appellasse, quod non *τῃ παλιγγενεσιᾳ* in homine crearetur sed ad ipsam humanam naturam pertineret, qualis in principio creata esset semperque maneret, ex his locis satis apertum esse videtur: *ἁγια και σωματι και πνευματι,* et: *μολυσμος σαρκος και πνευματος,* et ante omnia I Cor. II, 11: *τις οἰδεν ἀνθρωπων τα ἐν ἀνθρωπῳ, εἰ μη το πνευμα του ἀνθρωπου το ἐν αὐτῳ.* Atque ex iis, quæ I Cor. XV sunt, intelligitur, Paulum ea quæ anthropologica apud Mosen in Genesis libro sunt secutum esse. Ibi autem iis omnibus ad naturam ipsam pertinentibus homo præditus inducitur, quibus ande, Geist, spiritus est. A spiritu humano I Cor. II, 14 aperte distinguitur *το πνευμα θεου, το πνευμα ἁγιον* nec umquam apud Apostolum dictum est, *ἀνθρωπου πνευμα* id esse, quod in homine per acceptum oriatur Spiritum Sanctum. Et hujusmodi locis, velut Rom. VIII, 4, Gal. V, 16, id quod *πνευμα* est, ad Spiritum Sanctum proprie pertinere, non ad spiritum humanum, Meyer ipse statuit. *Το πνευμα* autem *ἁγιον* in Apostoli doctrina tertiam, ut ajunt, in Deo personam esse, non minus certum est, quam ad naturam humanam, qualis semper est, *το πνευμα του ἀνθρωπου* pertinere. Ad vitam autem, quæ *τῳ πνευματι του ἀνθρωπου* vivitur, illud referendum esse, quod *νους* appellatur, quis negare queat? *Νους* autem idem est, quod apud Latinos mens: *τῳ πνευματι προσευχομαι, προσευξομαι και τῳ νοϊ.* Satis igitur constare videtur ex Apostoli sententia hæc duo in natura humana esse, primum *σωμα,* totam illam membrorum summam, quibus vigentibus hic in terris vivere dicimur, per quæ cum rebus externis ceterisque animantibus conjuncti homines sunt, deinde *το πνευμα,* quo personæ, ut ajunt, homines sunt

sunt aliisque cum personis quasi personalem coire possunt societatem. His duobus omnis apud Paulum humana natura comprehendi solet, velut in illo *ἁγια και σωματι και πνευματι.*

Sed quid est illud, quod apud Paulum *ψυχη* appellatur? Hoc vocabulo idem fere exprimi, quod Hebræorum נֶפֶשׁ, Latinorum anima, Germanorum Seele, nostro själ, mox elucet. Sed quid his proprie intelligendum est? Nos ut hanc quæstionem pro virili parte expedire conemur, vitæ principium significari videtur sive ipsa vita. Ita apud Latinos, quæcumque vitam habent, animantia dicuntur. Paulusque quum citharam, fides, cetera *ἀψυχα* nominat, *τῃ ψυχῃ* omne vitæ genus complectitur. Dei tamen vita numquam *ψυχη* appellatur, neque hoc nomine angelorum umquam vita, quantum nos scimus, vocata est. Sed si quis inde colligendum esse dicat, *τῃ ψυχῃ του ἀνθρωπου* vitam tantum significari, quam corpore induti homines vivunt, ita ut *ἐν τῃ ψυχῃ* nihil aliud sit, quam ipsa corporis vita, quæ hominibus cum bestiis communis est, non satis recte judicet. Apostolus certe numquam hoc dixit. Communi quodammodo homines cum bestiis vita utuntur. Sed hominis vita semper talis est, ut ab eo vivatur, qui spiritu præditus sit. Et una semper totiusque naturæ humana vita est. Multis illis quidem locis vocabulum ita adhibetur, ut vita, quam hic corpore induti homines vivunt, significetur, velut Rom. XI, 3: *ζητουσι την ψυχην μου.* Sed his locis non ex ipso vocabulo sed ex tota orationis sententia, de morte, ut ajunt, temporali mentionem fieri, elucet. Quod ita esse, ex his, locis intelligitur, velut Rom. II, 9: *θλιψις ἐπι πασαν ψυχην ἀνθρωπου του κατεργαζομενου το κακον*, quo loco mala illa ad hanc tantum in terris vitam referre non licet; et Ephes. VI, 6: *ὡς δουλοι Χριστου ποιουντες το θελημα του θεου ἐκ ψυχης*, quod est, ex ipsa intima vita, tota illa quidem, sed proxime, ni fallimur, non corporis, qua membris vigentibus hic in terris vivimus, sed spiritus, quippe quum in spiritu, non in corpore positum sit, ut libere voluntatem divinam aut sequamur aut non sequamur. Similiter Col. III, 23. Et II Cor. XII, 15: *ἐκδαπαναθησομαι ὑπερ των ψυχων ὑμων*, non ideo, ut corpore induti hanc in terris vitam continuarent, sed ut vitam obtinerent æternam, se ait *ἐκδαπαναθησεσθαι.* His satis patere arbitramur, totam Paulum hominum vitam, sive corpore induti viverent sive non, vocabulo illo indicasse. Atque quum dicitur Rom. XIII, 1: *πασα ψυχη ἐξουσιαις ὑπερεχουσαις ὑποτασσεσθω*, nonne idem est *πασα ψυχη*, quod est: quicunque vivit, quicunque homo est. *Ψυχη* igitur ipsa vita vel ipsum vitæ principium esse videtur. Eo omnes, quos attulimus, loci spectare videntur. Nec apud Paulum quidquam contra est, nisi forte ea, quæ sunt I Thess. V, 24; I Cor. XV, 45; I Cor. II, 14. Hos igitur locos examinemus.

In enumeratione illa I Thess. V, 24 *ἡ ψυχη* inter *το πνευμα* et *το σωμα* inseritur. Neccesse est, *το πνευμα* et *την ψυχην* non prorsus idem esse, totamque hominum naturam tali modo Apostolum complecti. Hæc dici et possunt et debent. Sed nihil est, quo putare necesse sit, Paulum illo loco subtiliori aliqua anthropologorum usum esse distinctione. Nemo fere negat, Paulum, quæ ipsius consuetudo est, illud quod *ψυχη* est prorsus omittere potuisse neque tamen dubitare licuisse, quin totam hominis naturam comprehenderet. Hic autem *την ψυχην* adjicit. Non ideo, credimus, ut præciperet, inter *το πνευμα* et *το σωμα* mediam quandam vitæ humanæ regionem *την ψυχην* esse. Sed abundantia quadam orationis factum esse videtur, ut, quum in eo esset, ut totam hominis naturam enumerando complecteretur, et illud, quo personalem vitam vivimus, et ipsum vitæ principium una cum corpore enumeraret. Si ita hic locus accipitur, neque mira ipsa videtur enumeratio, neque hic in vocabulo *ψυχης* adhibendo ab ea consuetudine, quæ alioquin ipsius est, Apostolus recedit. *Ψυχη* enim non ita adhiberi solet, ut inferior vitæ pars ita appelletur. Potius ipsum vitæ principium, sive *τῳ σωματι* sive *τῳ πνευματι* vivitur, ita vocatur. Nec magis mirum hoc est, quam quod Maria dicit Luc. I, 46, 47: *Μεγαλυνει ἡ ψυχη μου τον κυριον, και ἠγαλλιασεν το πνευμα μου ἐπι τῳ σωτηρι μου.* Quo loco inter inferiorem et superiorem humanæ vitæ regionem distingui, haud facile quis dixerit. Neque tamen *ψυχη* et *πνευμα* prorsus eandem vim habent.

Transeamus ad I Cor. II, 14: *ὁ ψυχικος ἀνθρωπος οὐ δεχεται τα του πνευματος του θεου. Ψυχικος* hic idem est atque *σαρκικος*. Inde intelligitur, Gnosticorum illam hominum divisionem, *των σαρκικων, των ψυχικων, των πνευματικων* Pauli Apostoli non esse. Utrumque autem *σαρκικος* et *ψυχικος τῳ πνευματικῳ* opponitur. *Πνευματικος* is est, qui, quia per Spiritum Sanctum vivit, *τα του πνευματος θεου δεχεται.* Hoc certe negari non potest. Meyer quoque approbat. Ejusque, qui *το πνευμα θεου* non accipit, id ex sententia Apostoli proprium esse, ut corpori tantum ejusque vitæ se dedat, probabile non esse, argumentis ostendere conati sumus. Sed fortasse hoc loco ad concedendum cogimur. Non credimus. Antea demonstratum est, omnis vitæ humanæ principium *ἐν τῃ ψυχῃ* situm esse, ejus quoque vitæ, quam spiritu menteque præditus homo vivit, nec per se vocabulum illud eo inclinare, ut inferiorem quandam vitæ humanæ regionem indicaret. Jam si consideramus, quibus de rebus hoc loco verba fiant, nonne id ipsum est aut *το πνευμα του κοσμου* aut *το πνευμα του θεου* acceptum habere? Atque homines nonne illo proxime, quod appellatur *το πνευμα του ἀνθρωπου,* utrumque *πνευμα* et mundi et Dei accipiunt. Certe tum *τῳ πνευματι του ἀνθρωπου* necesse erit

aut hoc aut illud accipiatur *πνευμα,* si fieri poterit, ut, id quod *τῳ νοϊ* efficitur, *σοφια* eveniat aut *του κοσμου* aut *του θεου*? In tota igitur orationis sententia nihil est, cur de inferiore aliqua humanæ vitæ regione, qua *ὁ ψυχικος* circumscriptus teneatur, cogitandum sit. Sed quid tandem est illud *ψυχικος*? Si recte superiora disputata sunt, eam apud Paulum *ἡ ψυχη* habet significationem, ut in hominibus, sive corpore induti sunt sive non sunt, id ipsum indicet, quo vitam suam vivant, id est ipsum totius vitæ principium. Necdum aliam hujus vocabuli vim apud Paulum Apostolum nos invenimus. Quæ ut hic quoque maneat, nonne ita accipi *ὁ ψυχικος* potest, ut hominem significet, qualis vita sua sit, hominem, quales homines esse soleant, quales tum vivant, quum nihil aliud quam ipsorum vita in iis vigeat, quum igitur ex ipsorum vita omnia profluant, nec ex illo fonte hauriatur, unde nova eaque *ἐκ του οὐρανου* vita promanet, *ἐκ του πνευματος* scilicet *Ἰησου Χριστου*?

I Cor. XV, 45 legitur: *οὑτως και γεγραπται· ἐγενετο ὁ πρωτος ἀνθρωπος Ἀδαμ εἰς ψυχην ζωσαν, ὁ ἐσχατος Ἀδαμ εἰς πνευμα ζωοποιουν.* Hoc loco id Apostolus sibi proposuit, ut doceret, aliud quoque corporum genus esse, quam hoc, quo utimur, quales natura hic sumus, illud scilicet quod *ἐκ του οὐρανου* est. Hoc *πνευματικον* appellat. Quod quidem tali modo accipiendum esse, ut ita vocetur id, quod ex Spiritu Sancto sit eique congruat, ex consuetudine Apostoli jam commemorata hujus vocabuli usurpandi admodum probabile est. Nec quidquam esse videtur, cur aliter, quam supra factum est, *ἡ ψυχη* hoc loco accipiatur. *Σωμα* igitur *ψυχικον* nonne id corporis genus est, quo hic natura procreati induti sumus, *σωμα* autem *πνευματικον* id, quo ut quod sit ei vitæ congruens, in qua nihil nisi absoluta Spiritus Sancti opera vivitur, nos ut induamur, post finem seculorum futurum esse, speramus? Et si hæc recte disputavimus, difficillima illa *ἐγενετο εἰς ψυχην ζωσαν, — εἰς πνευμα ζωοποιουν* tali interpretatione expedire audemus. Primi hominis creatione effectum est, ut *ψυχη ζωσα* existeret, ut anima viveret, ut id vitæ genus existeret, quam anima vivere solet. Quod per ultimum Adamum factum est, id fuit, ut *πνευμα,* ni fallimur, *του θεου* aut certe id, quod ejus generis esset, ut ad *το πνευμα του θεου* pertineret, omnem vitam efficeret. Fortasse hæc non satis recte dicuntur. Melius tamen quam eorum plurima, quæ apud interpretes sunt, inter se cohærere videntur. Et si superiora vera sunt, hunc locum ejus generis esse putamus, ut necesse sit aut nulla aut cum illis, quæ supra attulimus, consentanea proferatur interpretatio. Ex illis enim plurima adeo certa sunt, ut de iis amplius dubitare vix liceat. Hoc vero ambiguum est nec per se satis intelligi potest. Certe non *πνευμα* solum factus *ὁ ἐσχατος Ἀδαμ* est, et in primo quoque id fuit, quod ante appellavimus *το πνευμα του ἀνθρωπου.*

Ad illas igitur, quas diximus, indicandas notiones vocabula *πνευμα, ψυχη, σωμα* in epistolis suis Paulum usurpavisse, admodum probabile est. Jam vero quæritur, id quod maxime quærendum esse videtur, utrum tali modo illa inducantur, ut inde colligere liceat, ex iis unum aut duo majori aliqua pravitate affecta esse, Paulum Apostolum existimavisse, an æque omnia nec magis corpus quam spiritum — de his enim maxime quærendum esse, ex superioribus patet — aut ad peccandum inclinare aut ad obediendum Deo. Cui quæstioni quid respondendum sit, his locis illustrari videtur. Paulus quum id sequendum esse indicat, ut *καθαρισωμεν ἑαυτους ἀπο παντος μολυσμου σαρκος και πνευματος,* quum feminam laudat, quod studeat, *ἱνα ᾐ ἁγια και σωματι και πνευματι,* nulla omnino se suspicio offert, corporis vitam magis ad peccandum inclinare quam spiritus, eamque ob rem difficilius esse corpus quam spiritum purum integrumque servare. Et illa, quæ jam supra diximus, fieri posse, ut *το πνευμα του ἀνθρωπου* per acceptum *το του κοσμου πνευμα* mente sive *τῳ νοϊ* sapientiam ederet *του κοσμου,* hæcque id sequeretur sapientia, ut, quidquid ad corporis vitam pertineret, contemneretur et omnino negligendum et quasi necandum esse putaretur, — hæc et similia satis ostendere videntur, omnino apud Paulum *το πνευμα του ἀνθρωπου* non minus quam *το σωμα* depravatum induci solere. Atque præter ea, quæ in vocabulo *σαρξ* esse putaverunt, nulli fere loci eo ne videntur quidem spectare, nisi forte Rom. VII, 25: *τῳ νοϊ δουλευω νομῳ θεου,* 19: *οὐχ ὁ θελω ποιω ἀγαθον, ἀλλα ὁ οὐ θελω κακον, τουτο πρασσω,* 22, 23: *συνηδομαι τῳ νομῳ του θεου κατα τον ἐσω ἀνθρωπον, βλεπω δε ἑτερον νομον ἐν τοις μελεσιν μου ἀντιστρατευομενον τῳ νομῳ του νοος μου,* et 24: *τις με ῥυσεται ἐκ του σωματος του θανατου τουτου;* VI, 6: *ἱνα καταργηθῃ το σωμα της ἁμαρτιας,* VI, 12: *μη οὐν βασιλευετω ἡ ἁμαρτια ἐν τῳ θνητῳ ὑμων σωματι,* VIII, 13: *εἰ πνευματι τας πραξεις του σωματος θανατουτε, ζησεσθε.* Ac profecto hi loci primo certe adspectu plurimum habere videntur, quod illuc spectet. Sed si superiora recte disputavimus, vix ita est. Nec facile quis dicat, ex illis, quæ Rom. VII sunt, conjiciendum esse, ex Apostoli sententia *τον νουν, τον ἐσω ἀνθρωπον* semper in homine *το καλον θελειν, τῳ νομῳ θεου συνηδεσθαι.* Tum enim quid sibi hæc volunt, Rom. I, 21: *ἐματαιωθησαν ἐν τοις διαλογισμοις αὐτων,* 28: *παρεδωκεν αὐτους ὁ θεος εἰς ἀδοκιμον νουν,* Eph. IV, 17: *μηκετι ὑμας περιπατειν καθως και τα λοιπα ἐθνη περιπατει ἐν ματαιοτητι του νοος αὐτων, ἐσκοτισμενοι τῃ διανοιᾳ ὀντες, ἀπηλλοτριωμενοι της ζωης του θεου δια την ἀγνοιαν την οὐσαν ἐν αὐτοις δια την πωρωσιν της καρδιας αὐτων,* ceteraque similia, quæ eodem spectantia jam supra attulimus? An quisquam putaverit, his locis consentire, si dicatur, *τῳ νοϊ* semper homines *τῳ*

θεῳ δουλευειν? Nec illo loco id sibi Apostolus proposuit, ut id explicaret, omnino quid in homine ad peccandum inclinaret, quid non, sed quum id sequatur, ut ostendat, non in lege divina, sed in ipsa hominis natura positum esse, ut lege divina oblata nihil aliud eveniat, quam mors, — id quum sequatur, condicionem naturæ humanæ, non eam, quæ semper est, verbis depingit, sed eam humanæ naturæ condicionem inducere videtur, qua fit, ut legis divinæ lumine quasi collustratus voluntatem divinam homo sibi sequendam esse mente concipiat, eamque sequi quodammodo vere velit, necdum tamen eo pervenerit, ut tantopere corroborata ipsius voluntas sit, ut impedire possit, quominus, quotiescunque agendum sit, nihil aliud eveniat, quam id, quo probatur, ὑπο την ἁμαρτιαν hominem natura sua πεπραμενον esse. Hanc autem humanæ vitæ condicionem ut Apostolus potissimum eligeret ad illustrandum illud, quod diximus, inde factum esse videtur, quod nulla alia ad servitutem illam depingendam magis idonea esset vitæ humanæ condicio, quam ea, quum Deo obedire homo cupit neque tamen eo agendo pervenire potest, ut vere Deo obediat. Quo accedit, quod hanc pravitatis humanæ vim Apostolus sua ipsius vita tantopere expertus erat. Hæc si recte disputamus, nihil aliud illo loco est, quam in vita humana fieri posse, ut mente voluntatem divinam homo amplectatur, neque tamen eam agendo sequatur. Quod ne fiat si quid ex Apostoli sententia impedimenti sit quæritur, jam supra ostendimus, cum in voluntate, qua membra regerentur, non in ipsis membris eorumque quasi cupiditatibus id, quod impediret, positum esse putare, admodum probabile esse. Qua quidem sententia ut recedamus, ne hunc quidem locum cogere, eo magis intellectum iri speramus, si id nobis probare contigerit, ne in ceteris quidem locis paulo supra enumeratis ejusmodi quidquam esse, unde concludere liceat, in corpore ejusque vita majori aliqua vi humanæ naturæ infixam esse pravitatem. Apostoli enim, quantum nos vidimus, ea omnino consuetudo est, ut duas illas humanæ vitæ regiones corporis spiritusque ita inducat, ut, sive hoc sive illud adhibetur, nisi singulari ratione indicatum est, totum hominem intelligat. Distinguuntur tum illa quidem, quum aut unum juxta alterum ponitur, velut ἁγια και σωματι και πνευματι, aut alterum alteri opponitur, velut II Cor. IV, 10: παντοτε την νεκρωσιν του Ἰησου ἐν τῳ σωματι περιφεροντες, ἱνα και ἡ ζωη του Ἰησου ἐν τῳ σωματι ἡμων φανερωθῃ, et 16: εἰ και ὁ ἐξω ἡμων ἀνθρωπος διαφθειρεται, ἀλλ' ὁ ἐσωθεν ἀνακαινουται ἡμερᾳ και ἡμερᾳ. Sed omnino, sive id, quod corporis, sive id, quod spiritus mentisque est, aut ad peccandum aut ad obediendum Deo inclinans inducitur, totus, ni fallimur, intelligendus homo est. Quod ita esse exemplis comprobemus. Paulus quum Rom. XII, 1, 2 Romanos adhortatur, ut την λογικην λατρειαν sequantur, eamque sitam esse dicit ἐν τῳ παρα-

στησαι τα σωματα θυσιαν ζωσαν, ἁγιαν, εὐαρεστον τῳ θεῳ, nonne necesse est, præsertim quum *ἡ* vocetur *λογικη λατρεια,* ea quoque *λατρεια* comprehendatur, quæ ad spiritus mentisque vitam proprie pertinet, quamque proxime certe inducit Apostolus velut Rom. I, 9: *ᾡ λατρευω ἐν τῳ πνευματι μου*? Quo ipso loco num ea prorsus excluduntur, quæ ad corporis vitam pertinent? Et quum pergitur Rom. XII, 2: *και μη συσχηματιζεσθε τῳ αἰωνι τουτῳ,* nonne omnis hominum vita, non ea solum, quæ *τῳ νοΐ* vivitur, ne hujus seculi rationem sequatur, Apostolus admonet? Quamquam in priori versu *σωμα* est, *νους* non est, in altero autem prorsus contra, in utroque tamen, ni fallimur, de toto homine agitur. *Τα σωματα* enim *παραστησαι θυσιαν θεῳ* nihil aliud sibi velle videtur, quam in hac vita, qua corpore induti sumus, ita semper agere, ut, quidquid agamus, Deum semper colamus. Nam quemadmodum apud nostros, quocumque modo agitur, ex uno tantum corporis membro, eo dico, quod appellatur "hand", manus, omnis actio "handling" vocatur, ita fere apud Apostolum factum esse videtur, ut in hujusmodi loquendi rationibus, velut Rom. XII, 1: *παραστησαι τα σωματα θυσιαν θεῳ,* Rom. VI, 13: *τα μελη παραστησαι ὁπλα* aut *ἀδικιας τῃ ἁμαρτιᾳ* aut *δικαιοσυνης τῳ θεῳ,* VII, 23: *ὁ νομος ὁ ὢν ἐν τοις μελεσιν,* non ea tantum, quæ ad corporis per membra vitam pertinerent, sed omnis hominum in membris utendis, in agendo vita indicaretur. Ita factum esse ex hoc saltem loco apertissimum esse videtur II Cor. X, 10: *ἱνα κομισηται ἑκαστος τα δια σωματος προς ἁ ἐπραξεν εἰτε ἀγαθον εἰτε φαυλον.* An quisquam credat, hic non internas, ut ajunt, actiones, intelligendas esse? Similiter fere expedienda hæc esse videntur Rom. VI, 6: *ἱνα καταργηθῃ το σωμα της ἁμαρτιας,* quod quid sibi velit, ex appositis apparet *του μηκετι δουλευειν ἡμας τῃ ἁμαρτιᾳ*; est autem: ut id omne tollatur, quocumque fit, ut corpore induti membra corporis ita adhibeatis, id est, ita agatis, ut *τῃ ἁμαρτια* serviatis. Et Rom. VIII, 13: *εἰ πνευματι τας πραξεις του σωματος θανατουτε, ζησεσθε,* hoc sibi velle videtur: si spiritu, i. e. Spiritu Sancto, vel fortasse potius si eo, quod a Spiritu Sancto habetis, omnes ejusmodi actiones, quas ad perficiendas vos, quales corpore induti, quales natura estis, corporis membra adhibere soletis, quas prorsus hic agere soletis, omnino tollitis, vitam accepturi estis. Et Rom. VII, 24: *τις με ῥυσεται ἐκ του σωματος του θανατου τουτου;* ita, ni fallimur, explicari potest: quis me ex hac in corpore vita eripiat, qua fit, ut, quidquid mihi membra corporis utenda sunt, quidquid mihi agendum est, nihil persequar, quo non morte fiam dignissimus. Apostolus in similitudine illa quasi manere videtur, qua ad actionem significandam, ad indicandum *το κατεργαζεσθαι, ποιειν, πρασσειν* membra corporis inducit. Difficillimus profecto hic locus est. Quam ob rem non inde in hac re explicanda initium facere licebit. Certe

in hoc loco expediendo ab illis recedere non licebit, quæ supra certissima protulimus.

C. Hæc si recte disputavimus, ne iis quidem locis, ubi πνευμα, ψυχη, σωμα adhibentur, quidquam invenisse videmur, unde concludere liceret, hanc aut illam Paulum Apostolum de anthropologica aliqua pravitatis humanæ natura expressisse sententiam. Nec nobis hæc quærentibus quidquam occurrisse putamus, quod illis repugnaret, quæ antea ethicorum ratione prolata cum doctrina Apostoli consentire suspicati sumus. Ea autem ejusmodi erant, ut nihil prorsus ad talem vergeret sententiam, quæ prava essent et ad pravitatem inclinarent, ea in corpore præcipue ejusque vita posita esse. Nec quidquam contra esse videtur, si quis dicat, eam Pauli Apostoli doctrinam esse, primam principalemque humanæ pravitatis vim atque naturam in aversione a Deo et conversione ad creata, ad το πνευμα του κοσμου sitam esse, inter peccandum igitur et recte vivendum non eam differentiam esse, quæ est inter corporis cupiditatibus indulgendum et id sequendum, quodcumque ἐκ του πνευμάτος του ἀνθρωπου est, sed potius eam differentiam esse, ut, sive corpore præcipue vivitur sive spiritu, tum peccetur, si homo το πνευμα του θεου non accipiens ea sequatur, quæ του κοσμου, του πνευματος του κοσμου sunt, sin autem contra, recta vivendi ratio sit. Ad eum igitur finem nos pervenisse videmur, ut probatum habeamus, si putandum est, Paulum in appellatione illa, qua omnem humanæ naturæ pravitatem ad την σαρκα refert, sibi ipsi non repugnare, aliam necesse esse Paulum vocabuli illius adhibuisse significationem, quam quæ apud theologos illos est. Quæ enim apud eos est philologica hujus vocabuli explicatio, ea non modo nonnihil falsi habebat, sed etiam eo aliquantum vergere videbatur, ut diceretur, cum iis repugnantia Paulum statuisse, quæ de his rebus eum omnino præcepisse probavimus. Nos igitur his, quæ ex scriptis Paulinis repetivimus, ita appellationem illam της σαρκος accipere admonemur, ut, quemadmodum hac prorsus eadem comprehendi videntur, quæ comprehenduntur τῳ κατα τον κοσμον, κατα το πνευμα του κοσμου, κατα τον αἰωνα τουτον περιπατειν, ita non magis in ea, qua ad την σαρκα, quam in his, quibus ad τον κοσμον κτλ. omnia peccandi genera referuntur, de corpore præcipue ejusque in peccando vita quidquam dictum esse putetur. Si enim ex ea proxime vocabuli σαρκος significatione, quæ indicat materiam illam carnis aut totum corpus, hæc profecta est appellandi ratio, qua tota humanæ naturæ pravitas ad την σαρκα refertur, hoc nullo alio modo fieri potuisse videtur, quam ita, ut majore aliqua vi in corpore pravitatem illam insidere indicaretur. Nos certe non videmus, quomodo evitari possit, ne eo in philologica rei explicatione revolvamur. Sin autem hoc evitari poterit, quod ut evitetur, cetera quæ

apud Paulum sunt quasi suadere nos supra ostendere conati sumus, tum quærere necesse erit, ecqua alia sit vocabuli σαρξ significatio, unde Paulinam illam loquendi rationem profectam esse probabile sit. Hoc, sicut diximus, Augustinus jam intellexisse videtur, et illud, quod I Cor. III est: οὐχι σαρκικοι ἐστε; οὐκ ἀνθρωποι ἐστε; quasi digito monstravit. Inde conjicisse videtur κατα σαρκα εἰναι idem esse atque κατ' ἀνθρωπον εἰναι. Sed quomodo ita fieri potuit? Quam philologicam reddamus rationem? Fieri potuisse arbitramur. Ac nonne ita fieri potuit, ut, quum σαρξ vocabulum a prima sua principalique significatione eo processisset, ut, si non omnino, at in certis quibusdam loquendi rationibus, prorsus idem significaret, quod ἀνθρωπος est, nulla omnino, quid in materia carnis aut in toto corpore aut boni aut mali esset, ratione habita, κατα σαρκα περιπατειν, σαρκικος εἰναι is diceretur, qui, quæ hominum, quales natura homines essent, vivendi propria ratio esset, eam vivendo sequeretur; ita, ut quemadmodum in illo κατα κοσμον περιπατειν, sic in hoc κατα σαρκα περιπατειν, unicuique legenti relictum esset, ut ipse cognoscendo teneret, quæ τῳ κοσμῳ, quæ τῃ σαρκι, i. e. hominibus propria vivendi ratio esset. Et si ita factum est, nonne talem hujus vocabuli significationem ex consuetudine sacrorum Veteris Testamenti scriptorum Paulus Apostolus repetivit? Ita factum esse, per se probabile est. Nihil apud Græcos ejusmodi invenimus. — Nos certe, nisi, quid apud illos sit, viderimus, quæstionem nostram absolvere non poterimus. Nondum enim ipsa significationis illius explanata origo est.

II. Jam ante enim indicavimus, in ipsa re positum esse, ut tum demum ad majorem hæc quæstio perduceretur absolutionem, si non id solum examinaretur, quam interpretationem ea, quæ omnino de his rebus Paulus statuit, quasi suaderent, sed etiam id exploraretur, quo modo ipsum vocabulum illud apud eos scriptores usurpari soleret, quorum loquendi consuetudinem Paulum secutum esse suspicari liceret, vel potius ut, ecqua apud hos essent, unde is qui apud Paulum esset dicendi mos ratione vere philologica intelligi posset, explicaretur. Apud Græcos Latinosque scriptores nihil ejusmodi esse, jam supra diximus. Ac profecto præter illas significationes, quas diximus principales, nulla alia apud eos hujus vocabuli significatio est, quam qua homo corporis libidinibus deditus iisque corruptus "putida caro" appellatur. Neque, nisi argumentis validis demonstratum erit, Paulum illam sententiam amplexum esse putare licebit, quæ apud philosophos Græcorum Romanorumque tenebat, ut omnem vitæ pravitatem a carne repetendam esse existimarent, quia homines corpore induti quasi carcere inclusi tenerentur. Hanc enim sententiam ethnicorum, ut ajunt, propriam esse, jam supra diximus, nec facile quisquam, quin ita sit, in ambiguum

vocarit. Sed ut valde improbabile est, ex usu aliquo ethnicorum Paulinam pravitatis humanæ appellandæ consuetudinem ortam esse, ita cum iis, quæ apud sacros Veteris Testamenti scriptores sunt, ea, quæ apud Paulum sunt, intime cohærere, admodum probabile est. Nos igitur, quæ apud hos sint, repetere conemur. Quod quidem sequentes nos non omnia de vocabulo בשר proferre debere, apertum est. Et id præcipue secuturi sumus, ut exploremus, Paulina illa in pravitate maxime humana significanda consuetudo, qua *σαρξ* ita adhibetur, ut quodammodo terminus technicus sit, hæc jamne eodem modo in Vetere Testamento adsit, aut, si non adesse demonstratum erit, quænam ibi ejusmodi sint, unde Paulinam illam consuetudinem profectam esse probabile sit, vel potius, ea, quæ in Vetere Testamento sunt, utrum ad ea confirmanda pertineant, quæ apud Paulum invenisse videmur, an potius contra.

A. Vocabulario Gesenii Fuerstiique illa locorum enumeratione docti sumus, vocabulum Hebræorum בשר, quum ad rem significandam, ad indicandum, quid sit, non quale quid sit, adhibetur, ita usurpari solere, ut ad tres fere notiones singuli loci referendi sint. Ut apertissima proferamus, Hiob II, 5: שלח־נא ידך וגע אל־עצמו ואל־בשרו, ubi ab ossibus caro distinguitur, Gen. IX, 4: אך בשר בנפשו דמו לא תאכלו, ubi a sanguine distinguitur, Lev. XIII, 3: עור הבשר, ubi a cute, materiam illam significari sanguine completam ossibusque infixam, quis non videt? Hanc principalem vocabuli proponimus significationem. Quomodo enim Hebræorum בשר cum Arabum بشر, quo dicunt proprie cutem significari, cohæreat, nos quærere omittamus. Excepto enim loco illo Ps. CII, 6: דבקה עצמי לבשרי, nihil in Vetere Testamento est, quod illuc spectare videatur. Certe ceteræ hujus vocabuli significationes melius a significatione cutis quam carnis derivandas esse, nemo demonstrare poterit. Ne apud Arabes quidem ita factum esse videtur in appellatione illa, qua totum hominum genus بشرة vocant. Hæc, ni fallimur, ab Hebræis ad Arabes pervenit appellatio.

Quum vero Ps. LXXXIV, 3 est: לבי ובשרי ירננו אל־אל חי, non solum de materia illa, sed de toto corpore, satis patere videtur. Ac sicut jam dictum est, usitata illa loquendi ratione ita factum est, qua potiorem rei alicujus partem pro re tota ponere solent. Huc multi referendi loci sunt, quorum unum tantum commemorabimus, Eccl. V, 5: אל־תתן את־פיך לחטיא את־בשרך, utpote qui et cum adhibitione quadam in Novo Testamento *σωματος* et *μελων* cohæreat et apud interpretes mire explicetur. Interpretandum autem tali modo esse videtur: noli ori tuo concedere, ut ea, quæ persequi non licebit, vovendo committas, ut corpus tuum polluatur, i. e. ut vovendo committas, ut, seu promissum servaris seu non servaris, tibi prave agere necesse sit, talique modo fiat, ut ipsa illa, quibuscunque ad agendum uteris, peccato

corrumpantur. Hæc interpretatio tota loci illius sententia adeo confirmatur, ut vix fieri potuisse videatur, ut tam mira excogitaret Gesenius, quam illa in Thesauro sunt: noli concedere ori tuo, ut peccati ream faciat carnem tuam, nimirum vovendo aliquid, quod per carnis imbecillitatem aut cupiditatum vehementiam servare non possis.

His vero non minus apertum esse videtur, multis illis locis, ubi legitur: כל־בשר, nulla omnino adjuncta notione idem prorsus significari, quod est: tota animantium summa, quidquid animans est, quidquid hic in terris vivit, idque non ita solum, ut omnia simul animantia, homines bestiæque, comprehendantur, sed ita multis sæpe locis, quibus id secum tota fert orationis sententia, ut כל־בשר prorsus idem indicet, quod est כל־אדם. Hanc significationem ita, ut diximus, vere adesse, ut nulla prorsus neque fragilitatis caducitatisque neque pravitatis et ad peccandum proclivitatis adjuncta notio esset, unicuique concedendum esse arbitramur, qui, hi loci quid sibi vellent, explorare operam dederit, Gen. VI, 17: לשחת כל־בשר אשר־בו רוח חיים מתחת השמים, ubi omnia animantia intelliguntur, Joël. III, 1: אשפוך את־רוחי על כל־בשר ונבאו בניכם ובנתיכם, ubi homines tantum intelligi, ipse locus docere videtur, Gen. VI, 12: השחית כל בשר את־דרכו, ubi pravitatem non per בשר significari apparet, Jes. XL, 6: כל־בשר חציר, ubi, sicut diximus, in vocabulo חציר caducitatis notio est, non in בשר.

Sed ut, hæc significatio quomodo orta sit, vel omnino quam rationem habeat, explicare conemur, quum, sicut ostendimus, nulla omnino adjuncta notio sit, sed prorsus significetur: quidquid animans est, quidquid hominum est, tali fere ratione hæc exstitisse videtur significatio. Idem כל־בשר proprie est atque: omnia, quæcumque carnem habent. In carne autem sanguis est, ibique sanguis omnino viget motumque suum ac vigorem oculis nostris objicit. In carne igitur et in sanguine proxima vitæ sese offert species. Inde ortum esse videtur, ut propinquitatem alii carnis vocabulo, alii sanguinis significarent. Apud Latinos enim est: sanguis parentum, Hor. Od. II, XX, apud Hebræos: בשרנו הוא Gen. XXXVII, 27. Apud utrosque talis significandi ratio ex illo orta esse videtur, quod putabant, in sanguine, qui in carne vigeret, ipsum vitæ principium quasi sedem suam habere. Vitæ igitur communitatem communitate aut carnis aut sanguinis expressisse videntur. Certe apud Hebræos hæc sententia tenuit aperteque dicitur, in sanguine vitam esse, Deut. XII, 23: הנפש הוא הדם. Et apud Vergilium est, Aen. IX, 349: purpuream vomit ille animam. Præclare de hac re Delitschius Bibl. Psych. § 11. Hæc quum ita sint, talem vocabulum illud Hebræorum בשר in significando viam tenuisse arbitramur, ut, quum in sanguine vitæ principium, ipsa vita quasi sederet, proprius vero vigentis sanguinis in carne

locus esset, et hanc ob caussam caro primam ipsam principalemque in omnibus animantibus vitæ speciem offerret, inde ea oriretur loquendi ratio, ut in ejusmodi certe dicendi formulis, velut כָּל־בָּשָׂר, nulla omnino adjuncta notione, idem significaretur, quod esset: quidquid animans est, quidquid hic vivit, et, si eo singulorum locorum perduceret sententia: quidquid hominum est; ita ut כָּל־בָּשָׂר prorsus pro כָּל־אדם poneretur. — Ex his nonnihil hauriri posse ad illud confirmandum, quod apud Paulum invenisse videmur, mox apparere arbitramur. Sed de hac re postea. Antea id, quod proximum nobis proposuimus, ad finem perducamus, ut videamus, numne si non his, at aliis Veteris Testamenti locis eodem modo בָּשָׂר, quo in Novo Testamento *σαρξ*, quasi termini technici loco ad pravitatem humanam significandam adhibitum sit. Qua in quæstione ut progrediamur, ex superioribus constare videtur, tribus illis, quas diximus, rationibus בָּשָׂר, si ad rem significandam adhibetur, usurpari solere. Eoque illa quoque suo quidque modo referenda sunt, quod ad propinquitatem, quod ad pudenda, ut ajunt, significanda בָּשָׂר usurpatur.

B. Sed non ita solum apud sacros Veteris Testamenti scriptores בָּשָׂר vocabulum adhibetur. Multis enim locis ad indicandum, quale quid sit, usurpatur. Quod quidem fieri ex his locis apparere arbitramur: Hez. XXXVI, 26: לֵב בָּשָׂר, ubi per similitudinem prophetam loqui, eamque ob rem non ipsam materiam cordis indicari, sed quale cor illud sit, pronuntiari, nempe molle esse et faciliter flecti vel imprimi posse, ex ipsa loci sententia intelligitur. Ps. LXXVIII, 38, 39: לֹא יָעִיר כָּל־חֲמָתוֹ: וַיִּזְכֹּר כִּי־בָשָׂר הֵמָּה רוּחַ הוֹלֵךְ וְלֹא יָשׁוּב, quo loco caducitatem mortalitatemque vocabulo בשר significari, quis non videt? Gen. VI, 3: בְּשַׁגַּם הוּא בָשָׂר, quæ verba quid sibi velint, magna dissensio est, nec facile quidquam pro certo confirmare licet. Illud tamen constat, non quid res sit, sed quale quid sit, ibi pronuntiari.

Loco illo Hezechielis nihil aliud quam mollitiam cordis significari, perspicuum est. Talique modo hæc exorta significatio est. Quidquid caro est, idem molle esse solet, quemadmodum, quidquid lapis est, idem durum est. Inde factum est, ut cordi lapideo carneum cor ita opponeretur, ut intelligendum esset cor molle cordi duro contrarium. Omnis caducitatis fragilitatisque hic notio abest. Itemque nihil est, quo pravitas aliqua et ad peccandum proclivitas significetur, sed potius contra. Nec facile quisquam dixerit, ex hac mollitiæ significatione aliam profectam esse significationem.

Ex altera autem illa fragilitatis caducitatisque significatione ad hanc de carne quæstionem interpretes doctissimi ingeniosissimique multa repetiverunt. Inde enim repetendum esse dixerunt non id solum, quod caro "omnes mortales" significat, sed etiam

id, quod ipsi contendunt, in appellatione illa בשׂר quasi termini technici loco omnem humanæ vitæ pravitatem significare. Hoc Hofmanus aperte contendit. Gesenius eo spectare videtur. Delitschium, quæ ejus cum Hofmanno consensio est, idem fere cum illo dicere, probabile est. Quamquam enim apud eum non tam ex caducitatis illa significatione terminum illum technicum ortum esse aperte contenditur, quam inde, quia in eo posita humana pravitas esset, ut "die Materialität eine ungöttliche", "der Naturgrund ein entbundener" factus esset, nonnulla tamen apud ipsum expresse statuuntur, quibus suspicari liceat, Hofmanno Delitschium in multis rebus prope accedere. Quæ quum ita sint, uberius nobis de hac re disputandum est. Unicuique enim concedendum esse videtur, si recte de his rebus docuerunt Gesenius, Delitschius, Hofmannus, magnopere dubitandum esse, ea num confirmari possint, quæ supra ex scriptis Paulinis de pravitate humana statuenda esse diximus. Si enim recte viri illi judicaverunt, tum a sacris Veteris Testamenti scriptoribus Paulum discrepantia habere, contendendum esse videtur. Pauli autem Jesu Christi Apostoli de pravitate humana sententiam a prophetarum horumque a Paulina abhorrere, difficile statuere esse, quis est, quin statim concedat? Videamus igitur, quæ interpretes illi statuant. Gesenius in Thesauro suo, ubi de substantivo nomine בשׂר præcipit, hæc ait: Nonnumquam בשׂר adjunctam habet notionem debilitatis et proclivitatis ad peccata. — Inde caro sæpe dicitur de cunctis animantibus — special. — omnes homines, universum genus humanum. Eodem fere modo apud Fuerstium et Dietrichium. At Gesenius, debilitatis et ad peccandum proclivitatis notionem nonnumquam vocabulum בשׂר sibi adjunctam habere, nulla alia argumenta affert, quam ex locis illis Eccl. V, 5 et II, 3, quorum alterum jam supra explicavimus, alterum vix opus est explicare. Si autem ita est, non est, quo cogamur ab iis recedere, quæ de tertia illa significatione ejusque origine nos supra statuere ausi sumus, nisi quod aliter esse Gesenius contendit.

Apud Hofmannum hæc dicuntur, Schriftbeweis I, 512, 513: Kommen wir vom Alten Testamente her, so wissen wir, dass der Mensch σαρξ genannt wird nicht blos, weil er der Vergänglichheit, dem Tode, sondern zugleich weil er hiemit, in sofern er nicht eine neue göttlich bestimmende Wirkung erfährt, der Sünde verfallen ist. Et pag. 506 ait: dass der Mensch ein vermöge seines so und so beschaffenen leiblichen Lebens abhängiges und vergängliches, und dass er ein sittlich unheiliges, sündhaftes Wesen ist, das steht mit der Alttestamentlischen Anschanung in viel engerem Zusammenhange, als man neuerdings aus Furcht vor Misskennung der Sünde zustehen will. Hanc sententiam suam his locis comprobatam esse censet, Gen. VI, 3:

לא־ידון רוחי באדם לעלם בשגם הוא בשר, Ps. LXXVIII, 38, 39: לא יעיר כל־חמתו:
ויזכר כי־בשר המה רוח הלך ולא ישוב: Hiob VII, 21: מה לא־תשא פשעי ותעביר
את־עוני כי־עתה לעפר אשכב ושחרתני ואינני:, Ps. CIII, 13, 14: כרחם אב על־בנים רחם
יהוה על־יראיו: כי הוא ידע יצרנו זכור כי־עפר אנחנו:, Hiob XIV, 1—4: אדם ילוד
אשה קצר ימים ושבע־רגז: כציץ יצא וימל ויברח כצל ולא יעמוד: אף־על־זה פקחת
עיניך ואתי תביא במשפט עמך: מי־יתן טהור מטמא לא אחד:. Quibus locis nonnihil explicatis, nam non multa affert ad sententiam suam comprobandam, et præcipue de difficultate quæ in his locis esse videtur, si cum iis, quæ alioquin in Vetere Testamento sunt, comparantur, nihil fere apud eum agitur, — his autem nonnihil tractatis pag. 507 pergitur: Der Mensch heisst בשר, weil er עפר wird, ja רמה, weil er in Gewürm sich auflöst, er heisst בשר, weil sein רוח davon geht: beides sind Bezeichnungen des Menschen, nicht nach seiner Sündhaftigkeit, sondern nach seiner Hinfälligkeit. Aber solcher Vergänglichkeit unterliegend ist er auch der Sünde verfallen. Ein in solcher Bedingtheit stehender Wille kann nicht gerecht, das Leben in so unreinem Leibe nicht rein sein. Hofmannus igitur non tali prorsus modo vocabulum בשר his locis interpretatur, ut ideo humanam naturam peccato depravatam ita appellari existimet, quia aut omnino aut majorem ad partem in eo pravitas ejus posita sit, ut ea potissimum homines post lapsum Adami sequantur, quæ ad corporis vitam pertineant, ea, quæ ad spiritus humani pertineant, non sequantur; sed hæc Hofmanni sententia est, appellatione illa, qua homines בשר esse dicuntur, fragilitatem proxime et caducitatem humanæ naturæ significari, idque quibusdam locis ita fieri, ut apertum sit, non prorsus ipsam mortalitatem humanæ naturæ significari, sed potius quandam in hac mortalitate positam peccandi necessitatem. Hæc, si recte videmus, Hofmanni sententia est. Quæ quidem num vera sit, exploremus. — Ut de loco illo difficillimo Gen. VI, 3 quærere differamus, utpote quem vix tum satis intellexeris, si aliunde quoque de iis, quæ ibi sunt, multa repetiveris, ad locum illum Ps. LXXVIII, 39 recte quin dicatur, caducitatem mortalitatemque ibi significari, prorsus idem igitur, quod est Hiob VII, 21, XIV 1—4, Ps. CIII, 10—14, dubium non est. Quemadmodum enim ad mollitiam significandam adhiberi ideo vocabulum בשר potest, quia ad naturam carnis pertinet, ut mollis esse soleat, ita, quum caro id proprium sibi habere soleat, ut fragilis sit atque caduca et putrescens morte intereat, inde factum esse videtur, ut ad hanc caducitatis notionem de re aliqua enuntiandam vocabulum illud adhiberetur. Prorsus idem igitur בשר quibusdam locis significat, quod alias exprimi solet per vocabula עפר, רמה, חציר. Sed num illud quoque locis illis est, quod esse Hofmannus ait, peccare eum necesse esse, qui tali carne indutus sit? Ea, quæ Hofmannus de na-

turæ humanæ pravitate si non e libris sacrorum scriptorum se prompsisse, at cum his consentanea esse contendit, quantopere ab iis abhorreant, quæ ab Augustino Lutheroque nos dedicimus, Kliefothius ille, Kirchl. Zeitschrift 1859, s. 516, ostendere studuit. Nos supra demonstrare conati sumus, cum iis saltem, quæ apud Paulum Apostolum essent, Augustinum consentanea dicere Lutherumque. Nec arbitramur, Hofmanno adsentiendum esse, nisi ipsorum, ad quos ille nos delegat, locorum gravi aliqua coacti erimus necessitate. Multa enim in Vetere Testamento eo spectant, non in corporis aliqua humani caducitate et mortalitate, sed in ea totius hominis, principaliter vero animi humani pravitate, qua a Deo creatore libera voluntate homines aversi abalienatique sint, id positum esse, ut in omni flagitiorum genere homines versentur, caducitatem vero mortemque pœnæ loco hominibus illatam esse. Quæ ita esse, ut unum tantum afferamus, Gen. III et ante et post lapsum illa in pulverem redeundi necessitas poenæ loco aperte inducitur. Multisque locis caducitatis mortisque caussa esse dicitur a Deo abalienata ideoque prava voluntatis humanæ natura. Numquam vero contra, nisi forte his locis ab Hofmanno allatis. Primo quidem adspectu eo spectare videntur, quo putat vir ille doctissimus. Quamquam re vera nonnulli illuc ne minimum quidem vergunt. Ita Ps. LXXVIII, 38, 39 et Ps. CIII, 13, 14 itemque Hiob VII, 21 esse arbitramur. Quibus quidem locis nihil aliud est, quam ut miseria humana divinæ objiciatur misericordiæ. Atque nimirum ita est, ut non inde misericordia exoriatur, si quis pravam alicujus videat voluntatem omniaque, quibus morte damnari mereat, delicta, sed potius si miseram alicujus mente amore plena comprehendat condicionem. Jam vero quid est, quod planius miseriam humanam depingat, quam illa hominum condicio, qua fit, ut, qui toti cum Deo conjuncti ad æternam cum Deo vitam creati fuerint, carnis modo putrefiant, ut in עפר et רמה corpora eorum solvantur? Hæc hominum condicio quum divino animo obversatur, tum, qua bonitate Deus natura est, misericordiam exoriri dicere solemus, talique modo his locis dictum esse arbitramur, nec quidquam in iis esse, quod ad aliam sententiam vergat. Neque aliter re ipsa iis locis esse videtur, ubi non id solum depingitur, quomodo divina existat erga homines misericordia, sed ubi ex his, qui caducitati obnoxii sunt, ut talis aliquis exoriatur, qui sit ab omni pravitate purus et integer, eamque ob rem sine metu ante tribunal divinum prodire audeat, expectandum non esse pronuntiatur. Quod quidem hoc loco dicitur, Hiob XIV, 1—4. Sed, ni fallimur, præter hoc nihil ibi est. Simul illa quidem pronuntiantur, omnibus cito pereundum esse, omnes in magna miseria versari, et ex impuris neminem inveniri posse purum. Et primo quidem adspectu hæc ita inducuntur, ut hoc, neminem purum esse, in illo, quod omnibus moriendum sit, positum esse videatur, et hoc

ipso, quod ita duo illa cohæreant, ad misericordiam Deum quasi commoveri. De misericordia divina jam supra diximus. Et quod ad alterum illud attinet, id neque aperte dicitur et cum iis prorsus repugnat, quæ in omnibus fere Veteris Testamenti libris legitur, quidquid miseriæ, quidquid fragilitatis, quidquid mortis in genere humano est, id immissum esse propter illam quæ voluntatis humanæ est pravitatem. Ac, ni fallimur, tali modo loci illi intelligendi sunt: Omnes homines caducitate sua omnique vitæ miseria peccati quasi notam sibi impressam gerunt. (Peccati notam caducitatem esse, locis illis nihil indicat, sed ita unicuique accipiendum esse videtur, quicunque de miseria et peccato cum scriptoribus Veteris Testamenti consuevit cogitare). Quomodo igitur, inquit, quomodo fieri potest, ut, qui tali vitæ utantur condicione, ut ipsa miseria sua, se damnatos morte esse, semper quasi præ se ferant, iidem justi piique evadant? Sed fortasse ne ita quidem opus argumentari est. In iis enim, quæ queritur Hiob, nonne, quantus ejus dolor est, temere quodammodo tum de miseria condicionis humanæ, maxime vero de morte, tum de voluntatis humanæ pravitate queritur? Vel fortasse potius num ea, quæ ad corporis, ab iis, quæ ad animi vitam pertinent, diserte distinguuntur? Nonne quodammodo confunduntur? Quasi uno orationis tractu de brevitate vitæ et de omni, ni fallimur, angorum genere mentio hic fit. Et impuritas illa nonne et ad corporis et ad spiritus humani vitam pertinet? Ex animi impuritate corporis oriri solere impuritatem, multis aliis locis dicitur. Num hoc loco prorsus contraria statui probabile sit? Non credimus. Inter corporis spiritusque humani vitam nulla hic expressior distinctio esse videtur.

Hæc si recte disputata sunt, nondum בְּשַׂר vocabulum ultra notiones aut mollitiæ aut caducitatis significando processisse invenimus. Quod quum ita sit, nihil est, quo probabile efficiatur, locum illum omnium difficillimum ita accipiendum esse, ut apud Hofmannum est: es bezeichnet, dass sich der Mensch, und zwar infolge der Uebertretung der ersten Menschen, in einer schlimmen Bedingtheit seines Daseins befindet, in welcher sein sittliches Verhalten nur sündig, unrein sein kann. Potius cum Gesenio interpretandum esse videtur: caro sunto, i. e. in pulverem redeant, aut, si imperativus esse non poterit: errore suo genus humanum caro facta est, i. e. propter delicta morti ac caducitati obnoxii homines facti sunt. Ad Gen. VI, 3 igitur jam perventum est. Quum vero suspicandum esse videatur, Hofmanni illud "die schlechte Bedingtheit des Daseins" idem fere esse, quod apud Delitschium "der entbundene Naturgrund" est, Delitschiusque hunc locum, quo omnia in hac quæstione defert, sua ratione intellexisse videatur, ita nobis procedendum esse credimus, ut hunc locum non tractemus, nisi ita, ut, quæ contendit Delitschius, ea simul exa-

minemus. Hujus autem illustrissimi viri hæc sententia est, ut eam ipsius verbis, quibus ad interpretandum הוא בשר utitur, exprimamus: er ist Fleisch. Fleisch בָּשָׂר ist hier nicht blos die natürliche Äusserlichkeit des Menschen, sondern seine aus seiner nichtgöttlichen zur ungöttlichen, widergöttlichen gewordene Materialität; es ist also nicht in blos physischem sondern zuglich ethischem Sinne gebraucht, wie in Neuen Testament *σαρξ, σαρκικος*. Contendit igitur Delitschius quoque eam jam in Vetere Testamento, certe Gen. VI, 3, בָּשָׂר habuisse significationem, ut prorsus eadem ratione, qua in Novo Testamento *σαρξ,* termini technici loco ad pravitatem naturæ humanæ indicandam usurparetur. Interpretatur enim: homines facti sunt "eine widergöttliche Materialität." De tali sententia quid sentiendum esse arbitraremur, jam supra attulimus. Videtur "die widergöttliche Materialität" idem significare, quod alias apud ipsum "der entbundene Naturgrund" est. Et quam mirum sit, "der entbundene Naturgrund" carnem appellare, eundemque simul contendere, non in corporis tantum vita humanam positam esse pravitatem, jam supra demonstravimus. Nec e corporis vita Paulum certe peccata derivare solere, argumentis probavisse videmur. Sed hic id tantum quærimus, num contendi possit, Gen. VI, 3 quidquam esse, unde Paulinam illam loquendi consuetudinam profectam esse, probabile sit. Contra Gesenium nihil attulerunt neque Hofmannus neque Delitschius. Nec facile quisquam confirmare poterit, non licere aut cum Gesenio aut altera illa supra allata ratione verba illa intelligere. Quamquam nos, quanta omnino loci difficultas est, ne id quidem prorsus negare audemus, si quis dicat, hunc locum ita accipiendum esse: corpori ejusque vitæ, corporis libidinibus totos se dederunt. Fieri enim potest, nec omnino improbabile est, id peccandi genus, quo *πορνεια* similibusque homines se dedunt, ibi significari, idque eam ab caussam, quia maxime in hoc peccandi genere tum temporis homines versarentur, vocabulo igitur בָּשָׂר totam humanæ naturæ pravitatem comprehendi. Sed etiam si ita est, nullo modo ex hoc uno loco colligere licet, jam in Vetere Testamento quasi termini technici loco vocabulo בָּשָׂר totam humanam significatam fuisse pravitatem, præsertim quum, hoc loco non de pravitate sed de caducitate humana vocabulo בָּשָׂר mentionem fieri, admodum probabile sit. Certe si pravitas humana בָּשָׂר illo indicatur, quid contra est, quominus credamus, ita illo loco omnem humanæ naturæ pravitatem comprehendi, quia sensuali, ut dicunt, peccandi generi illis temporibus homines præcipue se dederint? Hæc omnia si recte disputavimus, ex iis locis, in quibus ad indicandum, quale quid esset, בָּשָׂר vocabulum adhibitum fuit, nullus omnino inventus est, quo possit pro certo confirmari, de pravitate humana aliquid pronuntiari. De uno loco hoc prorsus negare non possumus. Sed hic, quoquo modo interpretandus erit, unus semper manebit.

C. Præter has duas vocabuli בשׂר significationes, quibus ad indicandum, aut quid aut quale quid esset, usurpatum fuit, nulla omnino, quantum nos quidem invenimus, in Vetere Testamento hujus vocabuli significatio est. Nos igitur ut omnia, quæ ad hanc quæstionem ex more sacrorum Veteris Testamenti scriptorum repetivimus, brevi adumbratione complectamur, omnes loci, in quibus ita בשׂר vocabulum adhibitum fuit, ut ad indicandum, quale quid esset, adhiberetur, sive ad mollitiam et ad flectendum facilitatem, sive ad caducitatem et mortalitatem, sive ad — quamquam hoc probari vix potest — ad vitam corporis libidinibus deditam significandam pertineret, — hi omnes loci nihil omnino habent, unde Paulinam illam appellandi consuetudinem profectam esse pro certo confirmare liceat. Immo, nisi loco illo difficillimo Gen. VI, 3 est, nihil usquam est, quo ad pravitatem aliquam humanæ naturæ significandam vocabulum בשׂר usurpatum fuisse ullo modo probabile sit. Ex iis vero locis, ubi ad rem significandam בשׂר vocabulum adhibebatur, nonnulla ejusmodi invenimus, quibuscum Paulinam illam consuetudinem cohærere non improbabile esset. Nam ex iis, quæ de tertia illa vocabuli בשׂר significandi ratione, diligentissima, quomodo hæc orta significatio esset, instituta disputatione, protulimus, id evenire vidimus, ut contendi posset, in nonnullis certe loquendi formulis בשׂר vocabulum, nulla omnino neque caducitatis neque ad peccandum proclivitatis, ne dicam mollitiæ adjuncta notione, prorsus nihil aliud indicaret, quam quod etiam vocabulo אדם exprimere liceret.

III. Nos igitur in hac commentatione usque eo pervenimus, ut ea, quæ ad hanc quæstionem, quid *σαρξ, σαρκικος, σαρκινος* apud Paulum Apostolum iis maxime locis, ubi de pravitate humanæ naturæ agitur, significaret, et ex iis, quæ ceteris apud Paulum locis vel omnino apud eum de hac re dicuntur, et ex ea, quæ apud scriptores potissimum Hebræorum est loquendi consuetudine ad hanc rem repeti possent, prolata atque explicata habeamus. Quæ omnia ut hic ita comprehendamus, ut, quid inde concludendum sit, expressis verbis indicemus, idque non ita solum, ut, quam vim atque significationem hæc vocabula iis locis habeant, explicemus, ubi de pravitate humanæ naturæ Apostolus loquitur, sed ut omnem vocabuli *σαρκος* apud Paulum significationem comprehendamus, — quamquam enim id proxime secuti sumus, ut, quid iis librorum Paulinorum locis, ubi de pravitate aliqua naturæ humanæ verba fiunt, *σαρξ* sibi vellet, erueremus, eo tamen hæc nostra semper contendit commentatio, ut omnem hujus vocabuli apud Paulum significationem ratione vere philologica explicaremus; — ut igitur omnia, quæ adhuc assecuti sumus, brevi comprehendamus adumbratione, nihil omnino in libris Paulinis invenisse videmur, quo

quid de anthropologica aliqua pravitatis humanæ naturæ ita statueretur, ut posset probabile esse, inde apud Paulum illam appellandi ortam esse rationem, qua factum esset, ut omnem naturæ humanæ pravitatem ad *την σαρκα* referre soleret. Immo vero eo potius omnia quasi spectare vidimus, ut putare necesse esset, vocabulis apud Paulum *σαρξ, σαρκικος, σαρκινος,* quotiescunque iis opponerentur, quæ ad *το πνευμα του Χριστου* pertinerent, nihil aliud, quam ipsam naturam humanam, qualis hæc inde a lapsu Adami et Evæ nondum accepto Spiritu Sancto vere esset, omniaque, quæ huic naturæ propria essent, signficari; ita ut *σαρξ* sic adhibitum nihil aliud esset quam ipsa natura humana, eodem prorsus modo, quo locum illum I Cor. III, 2, 4 primo jam adspectu intelligere moneremur, ut nihil aliud priorem illam quæstionem sibi velle arbitraremur: *οὐχι σαρκικοι ἐστε;* quam quod in posteriore significari appareret: *οὐκ ἀνθρωποι ἐστε;* Eo igitur hac nostra librorum Paulinorum de hac re examinatione perventum est, quo jam præstantissimus ille pervenerat Augustinus, ut ex iis, quæ apud Paulum omnino de his rebus essent, statuendum esse intelligeretur, *σαρκα* apud Paulum pro homine, pro natura humana poni solere. Et ea, quæ e libris sacrorum Veteris Testamenti scriptorum hausimus, plurima nobis attulerunt, quibus efficiatur, non solum Augustinianam illam explicationem non sufficere, sed etiam ut aliam eamque, sicut sperare audemus, vere philologicam rei expediendæ rationem explicatam argumentisque comprobatam habeamus. Nam nihil aliud in Vetere Testamento invenimus, unde profectam Paulinam illam consuetudinem esse probabile sit, quam quod in כָּל־בָּשָׂר hujusque formulæ origine et adhibitione est, ut possit non numquam utroque vocabulo בָּשָׂר et אָדָם idem prorsus significari. Sed, ni fallimur, ad rem philologice expediendam ultra quærendo procedere opus non est. Apud Paulum *πασα σαρξ* nulla adjuncta notione "omnes homines" significat. Et quasi promiscue dicitur *οὐχι ἀνθρωποι ἐστε;* et *οὐχι σαρκικοι ἐστε;* Et quam aptum sit Rom. I, 3 ita intelligere: a semine Davidis ad humanam naturam, quis est, quin videat? Et Eph. VI, 5: *τοις κυριοις κατα σαρκα:* qui, quæ vita hominum est, domini sunt? Sed hujusmodi plura postea. Hic ut omnes singulas significationes ordine dispositas breviter enumeremus, hæc prima *σαρκος* significatio est, qua, quemadmodum sæpe jam diximus, materia indicatur sanguine completa ossibusque infixa tum hominum tum bestiarum. Altera autem hæc significatio est, qua *σαρξ* vocetur tota membrorum summa sive corpus. Tum ea sequitur significandi ratio, qua *σαρξ* idem est atque omnis hæc animantium vita, maxime vero vita humana, natura humana, vel, ut dicere solent, naturalis hominum existentia.

III.

Restat, id quod principio jam diximus, ut his omnibus disputatis singulorum apud Paulum locorum hic afferamus interpretationem. Nam tum demum id assecuti erimus, quo jam initio contendebamus, ut vocabulario in his rebus expediendis satisfieret Paulino. Neque ea, quæ paulo supra statuimus in illa singulorum significationum ordine dispositarum enumeratione, argumentis satis comprobata habebimus, nisi ante demonstratum erit, iis singula non modo non repugnare, sed per ea vere fieri, ut probabili omnes loci explanari possint interpretatione. Sed priusquam ad singula adgrediamur, hoc præmittamus, nos, quum multi loci ejus generis essent, ut variam concederent explicationem, neque, sive hæc sive illa adhiberetur interpretatio, inconcinnior evaderet totius loci sententia, eam nos tenuisse rationem, ut, quo simplicior interpretatio esset, multo eam probabiliorem esse, existimaremus.

I. Gal. I, 16, quo loco id Apostolus sibi demonstrandum proponit, sibi Jesum ipsum, nullo omnino intercedente, evangelium suum quasi tradidisse: *οὐ προσανεθεμην σαρκι και αἱματι* i. e. *ἀνθρωποις,* et Eph. VI, 12, quo loco non cum bestiis aut hominibus sed cum Satana ejusque angelis certamen nobis esse admonetur: *οὐκ ἐστιν ἡμιν ἡ παλη προς αἱμα και σαρκα, ἀλλα κτλ.,* et Eph. V, 30, quo Christiani Jesu Christi corporis membra esse et, si vere a Paulo illa adjecta sunt, ex eadem cum illo, naturæ scilicet humanæ, ut ajunt, substantia, esse dicuntur: *ὁτι μελη ἐσμεν του σωματος αὐτου και ἐκ της σαρκος αὐτου και ἐκ των ὀστεων αὐτου,* et I Cor. XV, 50, ubi contenditur, omnem hanc naturam, qualis hic sit, manentem, in æternam vitam transire non posse, utpote quæ morti et caducitati obnoxia sit: *σαρξ και αἱμα βασιλειαν θεου κληρονομησαι οὐ δυνανται, οὐχ ἡ φθορα την ἀφθαρσιαν κληρονομει;* — his locis quamquam *σαρξ και αἱμα* et *σαρξ και ὀστεα* in unum quasi comprehensa ea, quæ diximus, significant, tamen per se *σαρξ* vocabulum, quod tum a sanguine tum ab ossibus distinguitur, nihil aliud significare apertum est, quam, sicut jam sæpe diximus, materiam illam sanguine completam ossibusque infixam tum hominum tum bestiarum. Quæ quidem materia ibi quoque intelligitur, quum dicitur Rom. II, 28: *οὐδε ἡ ἐν τῳ φανερῳ ἐν σαρκι περιτομη κτλ.,* et Gal. VI, 13: *θελουσιν ὑμας περιτεμνεσθαι, ἱνα ἐν τῃ ὑμετερᾳ σαρκι καυχησωνται,* et Eph. II, 11: *τα ἐθνη ἐν σαρκι, οἱ λεγομενοι ἀκροβυστια ὑπο της λεγομενης περιτομης ἐν σαρκι.* Quum enim his locis de circumcisione

agatur, circumcisio vero in materia illa fieri solita sit, nihil fere est, cur ultra principalem significationem his locis vocabulum *σαρξ* processisse existimemus. Quamquam loco illo Gal. VI, 12, 13 fieri potuisse videtur, ut, quod in posteriori versu *σαρξ* est, id eodem modo Apostolus intelligeret, quo priori versu *σαρξ* eum intellexisse probabile est. Vide p. 49. Eph. II, 15: *ἐν σαρκι αὐτου τον νομον καταργησας*, de sanguinis proprie e carne effusione cogitari videtur: eo, quod in carne ejus fecerunt. Conferri debent Coll. I, 22, II, 14. Quamquam consimile videtur Rom. VIII, 3; vide pag. 46. Coll. II, 1: *το προσωπον μου ἐν σαρκι*, vide paulo infra. Et II Cor. III, 3 materiam illam significari apertum est: *ἐστε ἐπιστολη Χριστου — ἐγγεγραμενη — οὐκ ἐν πλαξιν λιθιναις ἀλλ' ἐν πλαξιν καρδιας σαρκιναις.* Usitatæ in tabulis lapideis scriptioni scriptio opponitur in tabulis carneis. Carneas tabulas cor humanum significare, et per se et opposito *καρδιας* satis patere videtur. Ac fortasse etiam mollitatis hic significatio est, vel ad imprimendum i. e. ad gratiam divinam accipiendam facilitatis. I Cor. XV, 39: *οὐ πασα σαρξ ἡ αὐτη σαρξ, ἀλλα ἀλλη μεν ἀνθρωπων, ἀλλη δε σαρξ κτηνων, ἀλλη δε ἰχθυων,* utrum tantum materia illa carnis significetur, cujus differentia inter se corpora differant, an totum corpus ita indicetur, pro certo confirmare nos non audemus. Quamquam tota corpora significari, et ex iis, quæ antecedunt: *ἑκαστῳ των σπερματων το ἰδιον σωμα,* et ex iis, quæ sequuntur: *και σωματα ἐπουρανια κτλ.,* admodum probabile est.

II. *Σαρξ* enim ita apud Paulum adhiberi, ut non solum materiam illam significet, sed totam membrorum summam ita indicari, his constare videtur, II Cor. VII, 1: *καθαρισωμεν ἑαυτους ἀπο παντος μολυσμου σαρκος και πνευματος,* quo quidem loco quin prorsus eodem modo, quo I Cor. VII, 34: *ἡ ἀγαμος μεριμνᾳ τα του κυριου, ἱνα ᾐ ἁγια και σωματι και πνευματι,* in duas quasi regiones vita humana divisa inducatur, dubium non est, si quidem recte statuimus, ad naturam humanam pertinere, ut, sive Deo obediatur sive non obediatur, *πνευμα* semper homines habeant. Quæ quidem ita esse, his etiam magis comprobatur, Coll. II, 5: *εἰ και τῃ σαρκι ἀπειμι, ἀλλα τῳ πνευματι συν ὑμιν εἰμι,* quo fortasse pertinet etiam II, 1: *το προσωπον μου ἐν σαρκι,* nisi forte hic de materia carnis cogitandum est. II, 5 autem nonne idem est, quod I Cor. V, 3: *ἐγω μεν γαρ ὡς ἀπων τῳ σωματι, παρων δε τῳ πνευματι κτλ.?* Similiter potior rei pars pro re tota, *σαρξ* ad corpus significandum usurpari videtur II Cor. IV, 10, 11: *ἱνα και ἡ ζωη του Ιησου ἐν τῳ σωματι ἡμων φανερωθῃ, ἀει γαρ — ἱνα ἡ ζωη του Ιησου φανερωθῃ ἐν τῃ θνητῃ σαρκι ἡμων.* Quæ quum ita sint, fortasse eodem modo intelligenda

sunt difficilia illa, quæ sunt I Cor. V, 5: *παραδουναι τον τοιουτον τῳ σαιανᾳ εἰς ὀλεθρον της σαρκος, ἱνα το πνευμα σωθῃ ἐν τῃ ἡμερα του κυριου*: hominis illius corpus in eum finem satanæ opprimendum tradere, ut spiritus ejus salvus evadat. Eodem modo, ni fallimur, Rom. XIII, 14: *και της σαρκος προνοιαν μη ποιεισθε εἰς ἐπιθυμιας*: et quod ad corpus curandum attinet, nolite id ita operam dare, ut ad cupiditates excitandas pertineat. Monentur igitur, ut abstinentiam teneant. Pergitur XIV, 1: *Τον δε ἀσθενουντα τῃ πιστει προςλαμβανεσθε* i. e.: Qui autem propter *ἀσθενειαν* quandam *της πιστεως* magis, quam necesse erit, abstinentiam servandam esse sentiat, eum comiter apud vos recipite. Rom. XIII, 14 igitur quasi ad ea, quæ in sequenti capite sunt, spectat. Hic autem de vita corporis, de edendo, præcipue agitur. Eodem modo Eph. V, 29: *οὐδεις ποτε την ἑαυτου σαρκα ἐμισησεν, ἀλλα ἐκτρεφει και θαλπει αὐτην*, et 31: *ἐσονται οἱ δυο εἰς σαρκα μιαν*, de corpore dici tota loci sententia docere videtur. Fortasse non prorsus ita I Cor. VI, 15; vide p. 47. Quamquam fieri potest, ut eodem modo uterque locus accipiendus sit. De corpore fortasse etiam Gal. IV, 13: *δι᾽ ἀσθενειαν της σαρκος*, 14: *τον πειρασμον μου ἐν τῃ σαρκι μου* agitur; quamquam fieri potest, ut ad tertiam significationem hæc pertineant. Et si quid de difficillimis II Cor. XII, 7: *σκολοψ τῃ σαρκι* statuere debemus, per similitudinem videtur doloris vehementia depingi, quasi scilicet palus infigatur corpori sive fortasse carni. Eph. II, 3: *ποιουντες τα θεληματα της σαρκος και των διανοιων* Paulus omnia, quæcunque homines illi a deo alienati facere consueverant, oratione complectitur. *Ἁι διανοιαι* quin ad *το πνευμα του ἀνθρωπου* referri debeant, vix dubium est. Et juxta ponuntur *σαρξ και διανοιαι*. Jam si apud Paulum ea consuetudo erat, ut vel *σαρκι και πνευματι* vel *σωματι και πνευματι* totam hominum complecteretur naturam, nonne probabile est, hic quoque Paulum vocabulis *σαρκος και διανοιων* easdem humanæ naturæ regiones loquendo complexum esse, eamque ob rem ita hunc locum intelligendum esse: quæ e corporis quæque e cogitationum i. e. spiritus vita oriuntur, cupiditates agendo sequentes. Eadem fere ratione loco illo difficillimo Rom. VII, 25 in duas quasi regiones corporis scilicet spiritusque humani natura hominum divisa esse videtur. Sed hoc loco altera *τῳ θεῳ*, altera *τῃ ἁμαρτιᾳ* serviens inducitur. Est enim: *ἀρα οὐν αὐτος ἐγω τῳ μεν νοϊ δουλευω νομῳ θεῳ, τῃ δε σαρκι δουλευω νομῳ ἁμαρτιας*: quæ quum ita sint, ego igitur ipse mente illa quidem legi divinæ, carne vero legi, quæ pravitatis est, servio. Éx iis, quæ antecedunt, satis apertum esse videtur, *νους* idem esse atque *ὁ ἐσω ἀνθρωπος*. Et admodum probabile est, *σαρξ* idem esse, quod *τα μελη, το σωμα*. Vere igitur eadem humanæ naturæ divisio hic esse videtur, quam

6*

locis superioribus nos invenisse arbitramur. Sed, ni fallimur, alia quædam hujus divisionis adhibendæ ratio est. Jam supra enim docuimus, quæ Pauli de his rebus doctrina esset, nullo modo fieri licere, quin arbitraremur, hoc loco, non qualis per se semper esset, naturam humanam depingi, sed talem induci naturæ humanæ condicionem, qua homines lege divina quasi collustrati voluntatem Dei mente conceptam haberent, eique obediendo se beatos futuros esse intelligerent, hancque ad obedientiam quam citissimo pervenire cuperent, neque tamen eo usquedum pervenissent, ut agendo legem divinam servarent; idque eam ob caussam, quia nondum illud factum esset, quod VIII, 2 est: *ὁ νομος του πνευματος της ζωης ἐν Χριστῳ Ἰησου ἠλευθερωσεν με ἀπο του νομου της ἁμαρτιας και του θανατου,* cujusque VII, 25 initio gratias Apostolus agit: *χαρις τῳ θεῳ δια Ἰησου Χριστου του κυριου ἡμων,* i. e. quia nondum *ἐν Χριστῳ Ἰησου εἰναι,* VIII, 1, cœpissent, sed, quamquam gratia, ut ajunt, præveniente illuc admodum prope accessissent, etiam tum quodammodo *αὐτοι,* VII, 25, viverent. Quæ quum ita sint, talem difficillimi loci *ἀρα οὐν κτλ.* proferre audemus interpretationem: hac igitur utens condicione egomet ipse is sum, ut mente illa quidem legem divinam comprehendens ei obsequi propensus sim vehementissimeque cupiam, neque tamen adeo voluntas mea valida ac corroborata sit — id quod non nisi Spiritu Christi vere accepto fit —, ut impediri possit, quominus eveniat, quotiescumque carne i. e. corpore i. e. membris meis ad res efficiendas utar, vel quidquid agam omnino, *τῃ ἁμαρτιᾳ πεπραμενον* me *δουλευειν* appareat. Quum igitur inter duas illas humanæ vitæ regiones distinguitur, eo hæc distinctio spectare videtur, ut inter mente comprehendendum et actione perficiendum distinctio instituatur. Hæc si ita sunt, ad eandem significationem referri posse videtur illud, quod eodem fere loco est, VII, 18: *οἰδα γαρ, ὁτι οὐκ οἰκει ἐν ἐμοι, τουτ᾽ ἐστιν ἐν τῃ σαρκι μου, ἀγαθον.* Cui interpretationi ea, quæ sequuntur, consentire videntur: *το γαρ θελειν παρακειται μοι, το δε κατεργαζεσθαι οὐ,* et ea, quæ paulo supra leguntur, VII, 15: *ὁ γαρ κατεργαζομαι οὐ γινωσκω, οὐ γαρ ὁ θελω πρασσω, ἀλλ᾽ ὁ μισω, τουτο ποιω.* Quamquam, quum versui duodevicesimo nulla antecedat membrorum aut corporis inductio, fortasse vix fieri potuit, ut in talem sententiam Paulus Apostolus verba illa pronuntiaret. Et illa satis bene ita intelligi posse videntur: *ἐν ἐμοι, τουτ᾽ ἐστιν ἐν τῃ σαρκι μου*: in me, quam a matre habeo naturam, qua homo prorsus sum, necdum *το Χριστου Ἰησου* vere nactus sum *πνευμα.* Et in altero quoque versu VII, 25 interpretando, si comprobatum erit, illam, quam supra proferre ausi sumus, interpretationem amplecti omnino non licere, quippe quæ nisi hoc loco non inveniatur, ad eandem interpretationem confugiendum est, illam dico, ut sit *ἀρα οὐν ἐγω κτλ.*: quibus ita comparatis, ego igitur ipse

mente illa quidem eo pervenire possum, ut legi divinæ obediam, idque ita prorsus, ut supra diximus, sed, quæ humana mea natura est, fieri non potest, quin *τῳ νομῳ* servi loco obtemperem *της ἁμαρτιας*. Quamquam, hac adhibita interpretatione, illam, quam primo sese adspectu offerre concedendum est humanæ naturæ in duas regiones divisionem, omnino fere remotam esse, nec quidquam esse, quo id significetur, de quo ipso in iis, quæ proxime antecedunt, maxime agitur, de discrepantia dico inter *το θελειν, συνηδεσθαι κατα τον ἐσῳ ἀνθρωπον* et *το κατεργαζεσθαι, πρασσειν, ποιειν,* inter mente concipiendum et actione efficiendum, quis est, quin intelligat? Inter has autem interpretandi rationes, quæ Paulina de his rebus doctrina est, eligere oportet. Nam vere apud Paulum eam *σαρξ* habet significationem, ut ad humanam naturam indicandam adhiberi soleat.

III. A. Quemadmodum enim in Vetere Testamento בשר eo significando processit, ut כל־בשר idem esset, quod est: quidquid animans est, quidquid vivit, idque ita, ut, si hoc singulorum locorum indicaret sententia, idem prorsus esset atque est כל־אדם, ut ad naturam prorsus humanam significandam בשר adhiberetur, sic apud Paulum quoque factum est, ut *πασα σαρξ* idem significaret, quod est: omnes homines, nulla omnino neque caducitatis neque pravitatis adjuncta notione. Quum enim Rom. III, 20 est: *οὐ δικαιωθησεται πασα σαρξ ἐνωπιον αὐτου,* et I Cor. I, 20: *ὁπως μη καυχησηται πασα σαρξ ἐνωπιον του θεου,* et Gal. II, 16: *ἐξ ἐργων νομου οὐ δικαιωθησεται πασα σαρξ,* hoc nihil aliud sibi velle, quam: quidquid hominum est, quidquid naturam habet humanam, quis est quin videat? An non idem prorsus per *πασα σαρξ* exprimitur, quod Gal. II, 16 paulo supra est: *οὐ δικαιουται ἀνθρωπος ἐξ ἐργων νομου*? Hinc ea orta apud Paulum consuetudo esse videtur, ut multis aliis quoque loquendi ratinonibus *σαρξ* vocabulum ita usurparetur, ut significaret naturam humanam vel, ut ajunt, naturalem hominum existentiam.

Et ut singulos locos, in quibus *σαρξ* hanc significationem habeat, percurramus, ii, quos jam enumeravimus, loci ejus generis sunt, ut in iis non solum nulla de pravitate naturæ humanæ cogitatio sit; sed in iis inter diversas naturas, velut divinam et humanam, humanam ante et post mortem vix ulla inducta distinctio sit. Eodem, ni fallimur, hi quoque adnumerandi loci sunt. Rom. XI, 14: *εἰ πως παραζηλωσω μου την σαρκα,* ubi, sicut in Vetere Testamento factum est, ad communitatem naturalis a parentibus existentiæ significandam ita adhibetur, ut nihil pravitatis indicetur nec fere ulla naturarum distinctio sit. Et fortasse etiam II Cor. VII, 5: *οὐδεμιαν ἐσχηκεν ἀνεσιν ἡ σαρξ ἡμων, ἀλλ᾽ ἐν παντι θλιβομενοι, ἐξω-*

θεν μαχαι, ἐσωθεν φοβοι. Videtur *σαρξ* plura hic comprehendere, quam quæ ad corpus pertineant. Similiter fortasse non de corpore tantum dicitur Coll. I, 24: *ἀνταναπληρω τα ὑστερηματα των θλιψεων του Χριστου ἐν τη σαρκι μου,* et I Cor. VII, 28: *θλιψιν τη σαρκι ἑξουσιν οἱ τοιουτοι.* Nulla pravitatis significatio hic est, nulla fere naturarum expressa distinctio. Quamquam ut difficile confirmare est, non de corpore hæc dici aut fortasse de ipsa materia carnis — nam ibi maxime *θλιψεις* illæ oculis se quasi objiciunt —, ita negare nos non audemus, omnem hic abesse *της σαρκος τῳ πνευματι* oppositionem.

B. Adhibetur enim ita quoque *σαρξ,* ut nihil de pravitate naturæ dicatur, naturalis autem hominum existentia ab aliis existentiis distinguatur. Primum Phil. I, 22: *το ζην ἐν σαρκι,* 24: *το ἐπιμενειν ἐν τη σαρκι,* Gal. II, 20: *ὁ δε νυν ζω ἐν σαρκι κτλ.,* II Cor. X, 3: *ἐν γαρ σαρκι περιπατουντες,* inter naturalem hominum existentiam, qua corpore induti sunt, eamque, quæ eorum post mortem est, distinguitur. Fortasse ita hæc Apostolus intellexit: corporis velamine indutos vivere, ita igitur, ut *σαρξ* ad corpus significandum adhiberetur. Sed ex illa oppositione, quæ II Cor. X, 3 est et quodammodo etiam Gal. II, 20, non improbabile est, in naturali hominum existentia viventes Apostolum intellexisse. — Huc referenda illa quoque est distinctio, quæ inter naturas angelorum et hominum bestiarumque Eph. VI, 12 inducitur.

Eodem modo iis locis nulla de pravitate cogitatio est, ubi de eo mentio fit, Filium Dei naturalem humanam iniisse existentiam, quum vitam, qua ab æterno cum Patre uteretur *ἐν μορφη θεου ὑπαρχων,* relinquens, Phil. II, 6, *ἑαυτον ἐκενωσεν ἐν ὁμοιωματι ἀνθρωπου γενομενος,* velut Rom. VIII, 3: *ὁ θεος τον ἑαυτου υἱον πεμψας ἐν ὁμοιωματι σαρκος ἁμαρτιας,* ubi pravitas significatur per adjunctum *ἁμαρτιας*: Deus Filium ita misit, ut similis esset naturalis hominum existentiæ, — *και κατεκρινεν την ἁμαρτιαν· ἐν τη σαρκι*: in naturali hominum existentia, quæ alteri Adamo cum ceteris hominibus communis erat; I Tim. III, 16: *ἐφανερωθη ἐν σαρκι*; Coll. I, 22: *ἐν τῳ σωματι της σαρκος αὐτου,* in corpore, quo naturalis suæ existentiæ humanæ proprio utebatur; Rom. I, 3: *περι του υἱου αὐτου του γενομενου ἐκ σπερματος Δαβιδ κατα σαρκα*; IX, 5: *ἐξ ὡν ὁ Χριστος το κατα σαρκα.*

Similiter de naturali hominum existentia agitur nec ulla pravitatis indicatio est Rom. XV, 27: *εἰ γαρ τοις πνευματικοις αὐτων ἐκοινωνησαν τα ἐθνη, ὀφειλουσιν και ἐν τοις σαρκικοις λειτουργησαι αὐτοις,* et I Cor. IX, 11: *εἰ ἡμεις ὑμιν τα πνευματικα ἐσπειραμεν, μεγα εἰ ἡμεις ὑμων τα σαρκικα θερισωμεν;* Utroque loco de rebus proxime agitur, quæ ad corporis vitam pertinent. Potuit igitur *σαρξ* pro corpore ibi dictum esse putari. Sed opponuntur *τοις σαρκικοις τα πνευματικα,*

et, quum *τα πνευματικα* ea significare soleant, quæ ad Spiritum Sanctum pertinent, hoc quoque loco ita accipiendum esse videtur. Opponi igitur videntur ea, quæ ad naturalem hominum existentiam pertinent, iis, quæ ejus hominum existentiæ propria sunt, quæ nisi per Spiritum Sanctum hominum non est, id tamen ita, ut nulla naturali illi existentiæ pravitas tribuatur. Quid tum? inferior, credo, vitæ regio indicatur. Certe ita omnes ii loci accipiendi sunt, ubi, nulla significata pravitate, superiori *τῃ πνευματικῃ* existentiæ per *σαρξ* vocabulum hæ ad naturalem hominum existentiam pertinentes vitæ rationes opponuntur, velut inter propinquos, inter fratres, inter maritos et uxores, inter dominos et servos. Rom. IX, 3: *ὑπερ των ἀδελφων μου, των συγγενων μου κατα σαρκα,* hi fratres et propinqui iis opponuntur, qui *κατα πνευμα* fratres ac propinqui sunt. I Cor. X, 18: *βλεπετε τον Ἰσραηλ κατα σαρκα,* opponitur *τῳ Ἰσραηλ κατα πνευμα.* Fortasse huc pertinent etiam I Cor VI, 16: *οἱ δυο ἐσονται εἰς σαρκα μιαν.* In iis, quæ proxime sequuntur, *ὁ κολλωμενος τῳ κυριῳ ἑν πνευμα ἐστιν* opponitur. Fieri igitur potuisse videtur, ut, etiamsi unum corpus duos illos ex ordine Dei esse putaret, tamen, quum in illa, quam diximus, oppositione Apostolus versaretur, proxime de duorum illorum in unam naturalem existentiam conjunctione cogitaret, idque, ni fallimur, ita fere: In unam naturalem duo illi, in unam in Spiritu Sancto Christus et *ὁ κολλωμενος αὐτῳ* existentiam conjunguntur. Nulla tamen naturalis existentiæ pravitas hic inducitur. Et Eph. V, 31, quamquam de hoc loco vide supra p. 43. Certe ad hoc genus pertinent Eph. VI, 5: *οἱ δουλοι, ὑπακουετε τοις κυριοις κατα σαρκα,* et Col. III, 22: *οἱ δουλοι ὑπακουετε τοις κατα σαρκα κυριοις*: obtemperate iis, qui, quæ ratio hominum est, quæ naturalis hominum existentia est, domini vestri sunt. Opponuntur hi domini *τῳ κυριῳ Χριστῳ,* qui *τῳ πνευματι ἁγιῳ* dominus Christianorum factus est. Et Phil. 16: *ἀγαπητος μαλιστα ἐν κυριῳ, ποσῳ δε μαλλον σοι και ἐν σαρκι και ἐν κυριῳ,* dilectus maximopere mihi quidem, quanto vero magis tibi, et qua naturali existentia et qua per dominum Jesum Christum caritate conjuncti vos estis. Quum e ceteris tum maxime ex hoc loco apparere arbitramur, si ita, ut his locis est, ea, quæ ad *την σαρκα* pertinent, iis opponuntur, quæ ad *τον κυριον* et *το πνευμα αὐτου* pertinent, nulla alia ratione intelligenda hæc esse, quam ita, ut, quemadmodum his temporibus a viris doctis inter humanitatem et religionem distingui solet, humanitatemque præcipi, quamquam suam sibi propriam naturam habeat, ad religionem omnino conformandam esse, humanitatem igitur inferiorem universæ hominum vitæ quasi regionem esse, ita *σαρξ* his locis tali modo ad naturalem hominum existentiam significandam usurpatum fuisse existimetur, ut eas hominum inter se vivendi rationes complectatur, quæ velut familiæ vel omnino rei domesticæ, amicitiæ, similium jam in

naturali hominum existentia ad quandam perfectionem perduci possint, quippe quum in ea quasi radicem suam habeant. *Σαρξ* igitur tali modo adhibitum inferiorem illam humanæ vitæ regionem indicat, quam religioni oppositam viri docti humanitatem appellare solent. Hæc per se ordine divino constituta est, nec pravi quidquam habet, nisi posthabetur huic religio. Vide supra p. 26. Hic nihil de pravitate aliqua dicitur. — Et ut hos quos postremum percurrimus locos comprehendamus, ipsi per se docere videntur, nosque nonnihil certe ostendisse videmur, in iis nihil ad pravitatem naturæ humanæ significandam spectare; quum autem constaret, posse naturalem hominum existentiam *σαρξ* vocabulo significari, admodum probabile esse, his locis enumeratis vere *σαρξ* vocabulum hanc habere significationem, idque sive nulla fere existentiarum induceretur distinctio, sive vere oppositio inducta esset, tum inter divinam et humanam naturam, velut Rom. I, 3, VIII, 3, tum inter naturalem hominum existentiam eamque vivendi rationem, quæ hominum post mortem esset, Phil. I, 22, 24, tum inter naturalem illam hominum existentiam, quam humanitatem appellarent, et superiorem illam hominum existentiam, quæ in religione esset, Philem. 16.

Longe igitur Paulinam vocabuli *σαρκος* usurpandi consuetudinem ultra illum, quem in Vetere Testamento invenimus, vocabuli בשׂר adhibendi morem progressam esse, constat. Quamquam enim ex Vetere Testamento orta illa consuetudo est, qua factum est, ut naturalis hominum existentia *σαρξ* appellaretur, tamen multo magis varie ac multifarie quasi termino technico naturalis hominum existentia *σαρξ* apud Paulum Apostolum appellari solet.

C. Hoc iis locis etiam magis elucet, ubi tali modo *ἡ σαρξ τῳ πνευματι* opponitur, ut non superiori religionis inferior humanitatis, ut ajunt, regio opponatur, sed in ipsa religione ei existentiæ, quæ Spiritus Sancti ipsius est et a Spiritu Sancto quasi promanat, usque contraria ea inducatur, quæ natura hominum est, i. e. naturalis hominum existentia. Omnes qui huc pertinent loci ad tria genera referri posse videntur. Nonnulli enim ejusmodi sunt, ut in iis hoc prorsus pronuntietur, naturalem hominum existentiam ei existentiæ usque repugnare, quæ Dei est omniumque eorum, qui per Christum cum Deo conjuncti sunt, velut Gal. V, 17: *ἡ σαρξ ἐπιθυμει κατα του πνευματος, το δε πνευμα κατα της σαρκος,* Rom. VIII, 7: *το φρονημα της σαρκος ἐχθρα εἰς θεον.* In his locis non in ipso vocabulo *σαρξ* pravitatis significatio est. Potius naturalem hominum existentiam pravam esse enuntiatur. Alterum autem locorum genus eorum est, in quibus eo ipso aliquid pravum idque in religione esse indicatur, quod ad *την σαρκα,* ad naturalem hominum existentiam referendum sit, velut I Cor. III, 3: *ἐτι σαρκικοι ἐστε. ὁπου γαρ ἐστιν ἐν ὑμιν ζηλος και ἐρις, οὐχι σαρκικοι ἐστε;* quod est: nonne in pravitate illa, quæ

propria naturalis hominum existentiæ est, vos etiam nunc versamini? Fieri autem hoc ita potuit, ut, quum proprium id naturalis hominum existentiæ esset, ut a Deo abalienati homines essent, eamque ob rem omnino contraria idque in ipsa religione ea, quæ ad naturalem hominum existentiam pertinerent, iis essent, quæ Spiritus Sancti essent, inde ea oreretur consuetudo, ut, quidquid ad hominum in peccando vitam referendum esset, ad naturalem hominum existentiam referretur, eoque ipso pravum esse indicaretur. — Sed multi loci ejus generis sunt, ut in iis, si quid pravum esse dicitur, per alia vocabula, pravum esse, indicetur, neque tamen prorsus negari possit, quin per *σαρξ* quoque pravitas illa significetur, velut Coll. II, 20: *εἰκη φυσιουμενος ὑπο του νοος της σαρκος αὐτου.*

Ex his tribus generibus aut ad primum aut ad secundum aut ad tertium hi referendi loci esse videntur: Rom. IV, 1: *Τι οὐν ἐρουμεν Ἀβρααμ τον πατερα ἡμων εὑρηκεναι κατα σαρκα;* — nactum esse, quatenus *της χαριτος δια πιστεως* particeps non esset, sed in naturali hominum versaretur existentia? VI, 19: *ἀνθρωπινον λεγω δια την ἀσθενειαν της σαρκος ὑμων.* Quamquam fortasse hic vix ulla oppositio est. VII, 5: *ὁτε ἠμεν ἐν τη σαρκι* in naturali hominum existentia; VII, 14: *ἐγω δε σαρκινος εἰμι,* e naturalis hominum existentiæ quasi materia sum; VII, 18: *οὐκ οἰκει ἐν ἐμοι, τουτ᾽ ἐστιν ἐν τη σαρκι μου, ἀγαθον,* vide pag. 45; VIII, 3: *το γαρ ἀδυνατον του νομου, ἐν ᾡ ἠσθενει δια της σαρκος,* per naturalem hominum existentiam, i. e. quæ naturalis hominum existentia erat, fiebat, ut ad homines beatos reddendos lex divina non valeret; VIII, 4, 5, 6: *ἱνα το δικαιωμα του νομου πληρωθη ἐν ἡμιν τοις μη κατα σαρκα περιπατουσιν ἀλλα κατα σαρκα. οἱ γαρ κατα σαρκα ὀντες τα της σαρκος φρονουσιν, οἱ δε κατα πνευμα τα του πνευματος. το γαρ φρονημα της σαρκος θανατος;* VIII, 8, 9: *οἱ δε ἐν σαρκι ὀντες θεῳ ἀρεσαι οὐ δυνανται. ὑμεις δε οὐκ ἐστε ἐν σαρκι ἀλλ᾽ ἐν πνευματι, εἰ περ πνευμα θεου οἰκει ἐν ὑμιν;* VIII, 12, 13: *ὀφειλεται ἐσμεν οὐ τη σαρκι του κατα σαρκα ζην. εἰ γαρ κατα σαρκα ζητε, μελλετε ἀποθνησκειν;* IX, 8: *οὐ τα τεκνα της σαρκος ταυτα τεκνα θεου, ἀλλα τα τεκνα της ἐπαγγελιας λογιζεται εἰς σπερμα,* fortasse tamen ad ea hic locus pertinet, quæ commemorantur pag. 40. Quamquam vide paulo post Gal. IV, 23, 29. I Cor. I, 26: *οὐ πολλοι σοφοι κατα σαρκα;* III, 1: *οὐκ ἠδυνηθην λαλησαι ὑμιν ὡς πνευματικοις ἀλλ᾽ ὡς σαρκινοις, ὡς νηπιοις ἐν Χριστῳ.* Deplorat Apostolus, Corinthios ita nullos fere *ἐν Χριστῳ* progressus fecisse, ut etiam nunc infantes sint, ut etiam nunc eam sequantur cogitandi rationem, quæ propria sit naturali hominum existentiæ, cujus quasi materia eos constare dicit; II Cor. I, 12: *οὐκ ἐν σοφιᾳ σαρκικῃ ἀλλ᾽ ἐν χαριτι θεου ἀνεστραφημεν ἐν τῳ κοσμῳ;* II Cor. I, 17: *μητι ἀρα τη*

ἐλαφρια ἐχρησαμην; ἡ ἁ βουλευομαι κατα σαρκα βουλευομαι; V, 16: *οὐδενα οἰδαμεν κατα σαρκα. εἰ δε και ἐγνωκαμεν κατα σαρκα Χριστον, ἀλλα νυν οὐκετι γιγνωσκομεν*; X, 2, 3, 4: *λογιζομενους ἡμας ὡς κατα σαρκα περιπατουντας — οὐ κατα σαρκα στρατευομεθα, τα γαρ ὁπλα — οὐ σαρκικα ἀλλα δυνατα τῳ θεῳ*; XI, 18: *ἐπει πολλοι καυχωνται κατα σαρκα κἀγω καυχησομαι*; Gal. III, 3: *ἐναρξαμενοι πνευματι νυν σαρκι ἐπιτελεισθε*; IV, 23: *ὁ μεν ἐκ της παιδισκης κατα σαρκα γεγεννηται, ὁ δε ἐκ της ἐλευθερας δια της ἐπαγγελιας*; 29: *ὡςπερ τοτε ὁ κατα σαρκα γεννηθεις ἐδιωκεν τον κατα πνευμα, οὑτως και νυν*; V, 13: *μονον μη την ἐλευθεριαν ἀφορμην τη σαρκι*; 16: *πνευματι περιπατειτε και ἐπιθυμιαν της σαρκος οὐ μη τελησετε*; 19: *φανερα ἐστιν τα ἐργα της σαρκος κτλ.*; 24: *οἱ του Χριστου την σαρκα ἐσταυρωσαν*; VI, 12: *ὁσοι θελουσιν εὐπροσωπησαι ἐν σαρκι, οὑτοι ἀναγκαζουσιν ὑμας περιτεμνεσθαι*; Eph. II, 3: *παντες ἀνεστραφημεν ποτε ἐν ταις ἐπιθυμιαις της σαρκος ἡμων*; Phil. III, 3, 4: *καυχωμενοι ἐν Χριστῳ και οὐκ ἐν σαρκι πεποιθοτες, καιπερ ἐγω ἐχων πεποιθησιν και ἐν σαρκι. εἰ τις δοκει ἀλλος πεποιθεναι ἐν σαρκι, ἐγω μαλλον*; Coll. II, 11: *ἐν ᾡ και περιετμηθητε περιτομη ἀχειροποιητῳ, ἐν τη ἀπεκδυσει του σωματος της σαρκος*; 13: *ὑμας νεκρους ὀντας ἐν τοις παραπτωμασιν και τη ἀκροβυστια της σαρκος ὑμων, συνεζωοποιησεν κτλ.*; II, 23: *ἁτινα ἐστιν λογον μεν ἐχοντα σοφιας ἐν — ἀφειδια σωματος, οὐκ ἐν τιμη τινι προς πλησμονην της σαρκος.* His omnibus locis eam admodum convenientem esse interpretationem, ut *σαρξ* pro naturali hominum existentia accipiatur, quis est, quin videat? Itemque distinctionem induci existentiarum idque in religione. Sed in singulis locis utrum per *σαρξ* an per totam sententiam an per utrumque, ea offeratur cogitatio, pravam naturalem hominum existentiam esse, difficile multis locis explicatu est. Certe aut ad primum aut ad secundum aut ad tertium hi omnes loci referri possunt. Nec omnino nos fugit, multis locis ultra quandam probabilitatem progredi non licere. Quod aperte diximus, velut ad Rom. VI, 19, IX, 3. Sed hoc nihil contra nos habet. Nulli enim loci sunt, quin, ex his, quas diximus, significationibus sive hæc sive illa adhibeatur, singulorum locorum admodum probabilis evadat interpretatio.

Quæ quum ita sint, eo nos pervenimus, ut liceat finem imponere huic parvæ nostræ commentationi. Qua quidem si aliquid saltem ad hanc de carne quæstionem effecerimus, ei operam dedisse nos numquam poenitebit. Ac profecto, quum in iis, quæ in ea maxime principalia sunt, cum Augustino Lutheroque stemus, nos non omnino erravisse, sperare audemus.

Rerum, quæ hic tractatæ sunt, adumbratio.

I. Quid proprie nobis quærendum sit, constituitur.

- I. Ipsorum locorum, in quibus σαρξ est, difficultates.
- II. Interpretum præstantissimorum explicationes.
  - A. Augustini, Lutheri, cet.
  - B. Meyeri, cet.,
  - C. Tholuckii, Jul. Muelleri, Delitschii.
- III. Quid recte hi statuerint, examinatur, quidque quærere nobis restet, ostenditur.

II. Quam interpretationem ea, quæ ceteroquin apud Paulum sunt, eaque, quæ in Vetere Testamento sunt, quasi suadeant.

- I. Ex libris Paulinis demonstratur,
  - A. Quid omnino de pravitate naturæ humanæ Paulus statuat.
  - B. Quid apud eum πνευμα, ψυχη, σωμα sibi velint.
  - C. Quomodo hæc in vita religionis inducantur.
- II. Ex Vetere Testamento, בשׂר vocabulum adhiberi
  - A. Ad rem indicandam: carnem, corpus, naturalem existentiam.
  - B. Ad indicandum, quale quid sit: mollitiam, caducitatem, fortasse etiam libidinem.
  - C. Sed in his nihil tam ad hanc rem expediendam pertinet, quam quod בשׂר pro אדם usurpatur.
- III. Hæc duo quam locorum Paulinorum suadeant interpretationem.

III. Quomodo singuli loci, in quibus σαρξ est, hac interpretatione expediantur.

- I. Loci, in quibus materiam carnis σαρξ indicat.
- II. Loci, in quibus corpus σαρξ indicat.
- III. Loci, in quibus naturalem hominum existentiam σαρξ indicat, aut ita,
  - A. ut nulla fere existentiarum distinctio inducatur, aut ita,
  - B. ut distinguantur existentiæ, non tamen in religione nec ulla pravitatis adjuncta significatione, — divina et humana, — hominum ante et post mortem, — in homine inferior humanitatis et superior religionis, aut ita,
  - C. ut in ipsa religione naturalis hominum existentia ei existentiæ opponatur, quæ ad Spiritum Sanctum pertinet.

Rerum, quæ hic tractata sunt, [illegible].

I. Quid proprio nobis [illegible] sit [illegible].
  I. [illegible], in quibus [illegible] [illegible].
  II. [illegible] [illegible].
    A. [illegible]
    B. [illegible]
    C. [illegible]
  III. [illegible], [illegible], qualique [illegible] nobis [illegible].

II. [illegible], quae [illegible] apud [illegible] sunt, [illegible] quae in [illegible] [illegible] sint, [illegible].
  I. [illegible] [illegible].
    A. [illegible] [illegible].
    B. [illegible].
    C. [illegible]
  II. [illegible]
    A. [illegible]
    B. [illegible]
    C. [illegible] quod [illegible]
    [illegible].
  III. [illegible].

III. [illegible], [illegible].
  I. [illegible]
  II. [illegible]
  III. [illegible]
    A. [illegible]
    B. [illegible]
    [illegible]
    [illegible]
    C. [illegible] ad [illegible] [illegible].